




TRACTATUS
DE
FEBRIBUS

TRACTATUS DE FEBRIBUS

ANTONII FIZES

REGIS Consiliarii & Medici, nec-non in almâ Monspeliensium Medicorum Academiâ Chymiæ Professoris, in celebri Juris Facultate Matheseos Professoris antiqui, nunc Serenissimi Ducis Aurelianensis Medici primarii.

Editio quarta aliis verè correctior & emendatior.



HAGÆ-COMITUM,

Sumptibus PETRI DE HONDT, Typographi & Bibliopolæ.

M. DCC. LIV.



TRACTATUS DE FEBRIBUS.

CAPUT PRIMUM

De Febre in genere.



EBRIS, morbus omnium frequentissimus, vitali principio directè adversus, atque sive per se afficiat morbusque essentialis sit, sive alterius morbi existat effectus seu Symptoma, majorem mortalium partem de medio tollens, à verbo sabino veteris latinitatis *Februo*, id est depuro (*a*) forsan dicta est. Ea autem à Græcis appellata fuit *Puretos* à voce *Pur*, quæ ignem significat, quod Febrientes ardere plerumque videantur, ipsiusque essentiam Prisci in calore val-

(*a*) Vid. Dictionar. vet. Latinitatis Laurentii.

dè accenſo & præternaturali repoſuerint.

Ut ut autem morbus frequens adeo à Medicis obſervetur, intereà tamen nequè de notis ejus caracteriſticis conſtat apud eos nequè de ejus eſſentiâ. Quippè quòd alii Febrem per calorem præternaturalem determinant, ut *Fernelius* cum Priſcorum turbâ, alii verò neutiquam. Et ſanè præternaturalis ille calor Febrem non ponit, cùm is ſæpè obſervetur ſine Febre, & viciſſim afficiat ſæpiſſimè Febris ipſa ſine calore, ut ingruentibus pluribus Fébribus continuis earumve exacerbationibus, ut initio acceſſionum Febrilium, ut in nonnullis Febribus malignis, epidemicis & caſtrenſibus, *Algidis* vulgo nuncupatis; cùm etiam in Febribus malignis calor à naturali non multùm abſcedere ſoleat, imò ſæpè ei ſimilis ſit.

Quærendum itaquè ſignum Febris Pathognomonicum, de quo non ambigat apud Medicos. In eo autem conſentiunt Practici omnes toties ægros febrire, quoties obſervatur in eis frequentia pulſus cum læſione in functionibus notabili. Quamobrem definienda Febris practicè *Pulſus frequentia præternatu*

ralis, ſeu, quod idem eſt, *pulſus frequentia, cum notabili & conſtanti functionum læſione.*

Quæ cùm ità ſint non minùs ponetur Febris ſive frigus corpus occupet, ſive calor illud afficiat adauctus, licet calor febrisfrequentior comes ſit.

Febris verò cauſa continens eſt *frequentior cordis contractio unâ cum difficili ſanguinis tranſitu per vaſa minima*; ità ut conditio utraque ſimùl deſideretur ſemper præſens; cùm enim tantùm alterutra præſens eſt, nulla adeſt Febris; contractionum enim cordis frequentia obſervatur poſt exercitia, comeſſationes, in irâ &c. ſine Febre; ſæpèque difficilè fluit ſanguis per vaſa minima ut in animi defectu, gangrænâ, inflammationibus nonnullis, abſquè etiam Febre.

Aſſignandæ igitur ſtatim cauſæ generales, quibus fiat, ut binæ hæ conditiones exſuſcitentur ex neceſſitate nimirùm frequens cordis contractio, difficiliſque ſanguinis tranſitus per vaſa minima.

Eæ autem ad capita duo revocantur, nimirùm ad certos ſtimulos & ad certas ſanguinis dyſcraſes.

Et 1°. Quidem cùm aliqua pars, membranea præſertim aut ligamentoſa aut tendinea, & in genere cùm pars quæcumque ſive ex ſtaminum nerveorum copiâ ſive ex ingenitâ ipſorum in datâ parte tenſione plurimùm ſenſibilis graviter defatigabitur ac dolorificè, ſuccutietur propterea magiſque tendetur totum ſyſtema nerveum, fluido nimirùm nervorum abundantiùs ad fluxum hiſce ſuccuſſionibus intenſis & inaſſuetis è cerebro ad partes quibus nervi proſpiciunt determinato, tùm exin ſecretione ejus uberiori exſuſcitatâ ob reſiſtentiam nimirùm ex concitato uberiori effluxu imminutam in tractibus nerveis medullaribus tùm cerebri cùm nervorum (Prout videmus in quibuſvis colatoriis ſecretiones adaugeri, cùm vaſa excretoria facilius eructant, porrò nervi ut cerebri excretoria vaſa ſpectari poſſunt) tendentur ergò ſolito magis fibræ omnes, eæque imprimis, quæ ſpontaneis motibus indeſinenter vacant, ad quas ſcilicet via magis trita eſt. Inde actio intenſior ſolidorum, cordiſque præcipuè & arteriarum (quorum motus vegetus perennis eſt) quâ quidem ſanguinis moles ulterius exagitabitur;

ea igitur magis rarefcet organaque omnia præter modum confuetum tendet, hinc adaugebitur eorum actio & vigor; fic ut ea omnia per actionum inter folida & fluida reciprocationem magis & magis increfcant, vegetiùs nimirùm propellatur fanguis à corde, & in id vegetiùs è fanguiferorum fyftemate exprimatur, hinc contractio cordis citatior, frequentior, adeòque frequentior pulfus. Quoniam autem commotus nimiùm & rarefcens fanguis vafa minima pervadit difficilè, nonnulla eorum, quæ debiliora fuerint, vel quæ forfan conftrictionibus fpafmodæis ex influxu valido fluidi nervei non æquabili concitatis ftrictiora evafere, fanguinem vix tranfmittent aut nullatenùs, dùm cætera fic non affecta libera erunt ad tranfmittendum, undè cordis ad frequentiores contractiones incitandi altera ratio, prout inferiùs declarabitur; tuncque aderunt conditiones ad Febrim requifitæ, ità ut cum frequentiâ pulfus functiones læfæ fint.

2°. Si à quâcumque fanguinis dyfcrafi inferiùs affignandâ vel etiam à causâ aliquâ topicâ obftrui derepentè evenerit quam plurimos arteriolarum fines

reliquis intereà majori numero liberis remanentibus, ventriculis cordis opponetur protinùs resistentia, hi enim in omnibus vasis contento sanguini contranituntur, hinc sæpè frangentur in principio vires cordis, pulsusque non nunquàm debilitatur, imò accedent interdùm animi defectus, prout observamus interdùm inguentibus Febribus quibuscumque cum frigore.

Verùm ex illatâ cordi eâ resistentiâ ventriculi ejus sanguine se minùs liberantes tendentur ulteriùs toto tempore contractionis à sanguine nimirùm ad impulsum minùs obsequioso neque ab eorum cavo expulso, hinc tensio major solito in Fibris cordis se contrahentibus, & in sanguinem resistentem nimis velut in corpus durum nitentibus seque applicantibus, succussio proinde magna & inassueta staminum nerveorum cardiacorum ac ex necessitate nervei fluidi influxus uberior ac celerior, hinc vires majores, & incitatæ in restitutione ventriculorum cordis, hinc cor validiùs & celeriùs nitetur ad sui contractionem. Cùm intereà sanguinis in arterias expellendi resistentia non sit insuperabilis, nec adeò fluxilitate exutus

ſit ſanguis, ut ab eo fluidum nerveùm in cerebro vix ſecernatur (ſecùs ſuperveniret ſyncope, prout in principio exacerbationum Febrium malignarum quæ ſyncopales dicuntur, non nullarumque acceſſionum intermittentium Febrium, in quibus frigus tantum occupat corpus & eò uſque ſanguis inſpiſſatus eſt ut è corde vix diffluere poſſit, vixque ſecernatur fluidum nerveum, obſervatur) exprimetur è corde ſanguis, & quidem parvâ copiâ ſi reſiſtentia inſignis extiterit, undè cordis parietes, ventriculis parùm evacuatis, parùm ad ſe accedent, hoc eſt minùs ſolito in contractione percurrent ſpatium; porrò cùm in minori eo ſpatio percurrendo minùs inſumatur temporis, contractio cordis celeriùs erit peracta, ergò arteriæ venæquedilatabuntur celeriùs, (minùs tamen ob receptam minorem à corde ſanguinis copiam) hinc celeriùs reſtituentur earum tunicæ & quidem minùs eaſdem ob rationes, ergò, cùm de cætero vaſa omnia ſanguine plena ſint & ad ejus copiam accommodata, venoſus ſanguis celeriùs appellet ad cor & in minori copiâ, & quidem in ejus ventriculos influet ſanguine quo penitùs ſe liberare

non potuit velut turgidos, hinc cita dilatatio & magna, cum magnâ tensione, hic cita eam excipiens contractio cum magno nisu & labore cordis. Ex quibus omnibus, imminutis imò cordis & vasorum sanguineorum, aut etiam ob nimiam sanguinis resistentiam velut elisis viribus sæpiùs contrahetur cor, sæpiùsque dilatabuntur arteriæ, hoc est pulsus erit frequens celer & unà parvus ut tempore f.igoris Febrilis observatur.

COROLLARIUM 1. Ex parvâ hoc est parùm extensâ in morientibus cordis quamquàm debili contractione fi tut in eis debilis pulsus frequens tamen & celer nonnunquam percipiatur.

COROLLARIUM 2. Ad cordis contractionum frequentiam & celeritatem non requiritur absolutè & essentialiter vis cordis adaucta. Practicis omnibus illud notum est.

Jàm verò continuatis prædictis contractionibus cordis & arteriarum, itâ tandem succutitur sanguis ac evolvuntur materiæ Febrilis particulæ activæ in viscido anteà delitescentes, ut is in rarescentiam ducatur qui priùs à materiâ Febrili fuerat inspissatus; vel interdùm à materiâ Febrili naturæ actuosæ

ſanguis in excandeſcentiam protinùs agitur nullâ inſpiſſatione prægreſſâ (nam ut Febres plurimæ ab inſpiſſatione ſanguinis incipiunt, ſic & non nullæ cum æſtu ingruunt) cùm autem in rarefactione ita conſtitutus eſt ſanguis, ſive ex inſpiſſatione præviâ vaſcula nonnulla obſtipata adhuc remanſerint, ſive ex rarefactione ipsâ nonnulla obſtipentur, & omninò ſi ſanguinem ſive inſpiſſatum ſive rarefactum fluere difficilè per vaſa plura minima ſubitò contigerit, non fractis tamen ad magnum gradum cordis & arteriarum viribus (contingit autem in Febribus, prout oſtendunt horripilationes, dolores obſcuri vel etiam acuti in partibus, tumores inflammatorii ſæpiùs excitati, hæmorragiæ, aliaque Febrilia Syptomata) frequentiam pulsûs ſuſcitari unâ cùm læſione functionum toties enveniet. Permeat etenim partes ſanguis, cùm vitâ vivant, arteriolæ igitur plures tranſmittunt, dùm reliquæ ſunt obſtructæ: ex arteriolis autem lymphaticis, aliæ magis, minùs aliæ obſtipatæ ſunt, prout ex difficili ſanguinis tranſitu per arteriolas minimas aliæ magis aliæ minùs neutiquam aliæ ſanguinis globulos

aut partes Fibrosas admiserunt, aut prout à materiâ Febrili inspissante earum orificia magis aut minùs aut nullatenùs fuere obstructa, universim tamen arteriolæ lymphaticæ sanguineis ut pote arctiores magisque debiles obstructionem eis longè plures patiuntur. Sanguis ergò qui per sanitatem sub formâ duplici rubri nimirum & serosi fluidi ab arteriolis sanguineis in venas confluit per easque ad cor remeat, partim nimirum per continuos sanguiductus partim per protractos ab arteriis in venas ductus lymphaticos jàm per arterias nonnullas sanguineas pluresque adhuc lymphaticas à transitu libero arcetur. Cùm autem intereà exerceantur cordis vires & arteriarum quin & ex resistentiâ (quæ non supponitur invincibilis) in memoratis arteriolis sanguineis & lymphaticis obstructis ac ex collecto fluido plurimùm tensis subortâ proritentur & increscant ex tensione nimirùm ulteriori in eis excitata, sanguinem ad venas per ductus pauciores ac anteà trudendum fore consequitur, truditur autem ut ostendit vita partium, quare fluenti celeritate commeatus momentum compensari tantum poteft; crescit ergò celeritas cursus

ſanguinis in arteriolis liberis ad venulas tendentis, eaque ſanguini venoſo imprimitur. Verum aliâ quoque de causâ creſcit per cava ſyſtematis totius venoſi curſus ſanguinis celeritas, quod nimirùm fluidum arteriarum ſanguinearum tranſmittatur fermè totum in venas ſub fluidi rubri ſeu ſanguinis formâ vix autem aliqua ejus portio ſub formâ lymphæ ob obſtructas quam plurimas arterias lymphaticas, ea igitur de causâ ſanguinis arterioſi portio ſeroſa abingreſſu lymphaticorum excluſa inſolitò ac celeriùs in venarum cava influet, cùm nec tam longum ac anteà percurrat iter, perquè ſanguiductus abrepta longè currat celeriùs quam per lymphatica in quibus lentiori ſanè greſſu procedere ſolebat.

Jàm verò ſanguinis moles quæcumque data per arterias magnas liberas ad partes obſtructas appellit, vigent namque aut ſaltem ab exercitio non ceſſant vires cordis & arteriarum, uberior autem ſolito per ſanguiductus exiguos fluidi copia & quidem celeriùs, ut jam probatum eſt, in venas trajicitur; hinc citatior ad cor ſanguinis reditus, cor ergò in dato tempore dilatatur pluries,

pluriesque ad systolem stimulatur contrahiturque, hinc pulsus frequentia cum difficili sanguinis transitu per vasa minima, hoc est Febris.

COROLLARIUM. frequentia contractionis cordis simùlque difficilis sanguinis transitus per vasa minima, ideam Febris absolvunt.

Crescit intereà in arteriis, venis & corde sanguinis moles & ea quidem quantitate, quâ sanguinis arteriosi portio lymphatica ab influxu in arterias lymphaticas libero solitoque prohibetur hinc cor & arteriæ venæque sanguine magis turgent, undè deinceps pulsus solito amplior. Sed ex dilatatione eâ ulteriori tenduntur magis cor arteriæ venæque, fiuntque robustiores (prout elater magis, non tamen ultrà modùm, tensum restituendi se vim majorem adipiscitur) tùm & à sanguine succussis magis staminibus nerveis ut pote magis tensis uberiùsque influente fluido nerveo ad contractionem muscularem magis proritantur, hinc increscunt cordis arteriarum imò & venarum vires trusivæ vehementioresque fiunt, quibus quidem plurimùm adaugetur trusivi intestinique motus sanguinis

guinis momentum, undè pulsus frequentior adhùc, validior, magis plenus, Febrisque intenditur.

Ut autem in statu fluidorum febrili obstruuntur arteriæ lymphaticæ, ità & eisdem de causis obstipantur ductus secretorii plures, quæ omnia demonstrantur ex nonnullis Febrilibus symptomatis, ut inferiùs declarabitur. Succedunt autem ex obstructis ità subitò ductibus secretoriis, & sanè easdem ob rationes mechanicas, quæ in sanguinis circuitu ex obstructis subitò arteriolis lymphaticis super venire jam fuit demonstratum, sanguinis celerior ad venas appulsus, moles ejus adaucta in sanguiferis: reditus ad cor celerior, Febris.

Quæ cum ità sint, & quæ observantur apud ægros ea nobis undequâque que conclament, sequens ponemus COROLLARIUM. In Febre quâvis fluidorum longè major moles transcurrit per vasa sanguinea (spectando idem & datum corpus febriens comparatum cum eomet cessante Febre) his autem defraudantur aliquantùm vasa lymphatica tùm & secretoria universim saltem spectata; laborant plu-

rimùm cor & ſanguifera; velut otiantur vaſa reliqua, quam plurima reſcunt colatoria vel fluidi lentore obſtipantur. Nec fit ſatis nutritio. Nec Fibris minimis debitus conciliatur tonus. Undè quamplurimum ſymptomatum in Febribus obſervabilium productio, & explicatio eorum facilis nec hypothetica.

Ex præfatis conſequitur in genere triplici modo Febrem pronaſci. Nimirùm 1°. Aut excitatâ primariò contractionum cordis frequentiâ ſubſequente dein difficili ſanguinis progeſſu per vaſa minima; ità ſuſcitatur Febris à doloribus ac ſtimulis nihil ſpaſmodæi procreantibus abſque antecedente etiam fluidorum ullo vitio. 2°. Aut ſtatim excitato difficili ſanguinis tranſitu par vaſa minima ſubſequente poſteà frequenti cordis contractione; ità ſuſcitatur ſæpè Febris à fluidorum vitiis nonnullis etiam abſque doloribus ulliſve ſtimulis antecedentibus, & tunc ponuntur Febres, quas *Humorales* dicere placuit. 3°. Aut cùm excitantur unâ frequentior cordis contractio ſanguiniſque tranſitus difficilis per vaſa minima; ut cùm ex ſtimulis

tantùm, ſpaſmodicè conſtringuntur vaſa plurima ſimùlque totum commovetur genus nerveum, aut cùm concurrunt unà & ſtimuli & fluidorum vitia.

Quæ omnia ſedulò notanda à Junioribus Medicis ad praxim faliciter exercendam. Et Febris nulla eſt, quæ non aliquo ex his tribus modis ſuſcitetur. Ea docet ſedula apud ægros obſervatio, nullâ habitâ aut hypotheſeos cujuſcumque aut authoritatis ullius ratione, quibus ſanè obſervatio ſuperior exiſtit.

COROLLARIUM. Errant profectò, qui in Febris Theoriâ ponendâ, unicum quærunt modum ex quo cor frequentiùs contrahatur; ægri ſiquidem contrarium edocent.

Ex præfatis colligitur quoquè Febrem interdum excitari cum adauctis cordis & ſanguiferorum viribus, ut in quamplurimis Febribus ortis ab ſtimulis, ut in Febribus ardentibus aliiſve acutis tempore caloris ſeu pyrexiæ; interdùm cum eis imminutis ut tempore frigoris Febrilis, ut in Febribus hecticis cum dejectione univerſali virium. Verùm quo pacto debilitatus motus cordis Febrilis intendatur dein-

ceps necessariò ex causa datâ Febris materiali in sequentibus fusiùs declarabitur, nimirùm in capite de Febre putridâ. Jàm verò cùm Febres, quæ frequentiùs curandæ occurrunt, sint quæ dicuntur *Humorales*, quæ nimirùm à massæ sanguineæ vitio dependent, quid sit *Materia Febrilis* sciendum.

Per materiam febrilem intelligunt Medici causam materialem febrium humoralium, quæ nimirùm perstant donec ea materia è sanguine abierit aut per excretionem è corpore absolutam, aut per expulsionem ejus extrà vias sanguinis circulationis, videlicet in vasa lymphatica aut secretoria omnimodam ablegationem.

Materia Febrilis in genere fluidum est aliquod aut miasma vel in corpore genitum vel susceptum ab extrinseco, cujus vitii eæ sunt conditiones, ut vel protinùs sanguinem in rarescentiam constantem concitet, vel inspisset eum eò tamen usquè ut partes sanguinis integrantes in seinet coactæità vi cordis & sanguiferorum sejungi possint ut sequatur rarefactio, nisi æger in frigore Febrili occumbat, quod aliquandò contingit.

Materia febrilis quadruplex eſt, nimirùm fluidum vitioſum è primis viis per chyli vias ſanguini ſuffectum; fluidum vitioſum ex cohibitâ ſecretione aliquâ aut excretione in ſanguine emergens; fluidum ex ſuppurante aut corrupto diverſis modis organo, aut è corrupto fluido effuſo alicubi ſtagnante & ſenſibiliter collecto ut pure, ut aqua hydropicorum nonnullorum, ſanguini accedens; & fluidum, vel ſi volueris miaſmatum congeries, ab extrinſeco ab aëre putà infecto aut corporibus corporis humani ambitui immediatè applicatis, velut veſicantibus, corroſivis, & ſimilibus, ſanguini ſuppeditatum. Nullaque eſt materia febrilis, quæ ad aliquam ex prædictis non reducatur. Proindè nulla febris datur humoralis, hoc eſt ex inquinato ſanguine producta, quæ non ex aliquâ ex his materià oriatur foveaturque. Intereà notabimus materiam febrilem duplicem frequentiùs apud ægros obſervari, nimirùm pravos ſuccos è primis viis ſanguini ſuppeditatos & purulentum liquamen ei reductum. Quare febres humorales ab alterutrâ ex his duabus materiebus febrilibus aut

utrâque ſimul pronatæ cæteris longè frequentiores ſunt.

Febres autem cæteræ, quæ non ſunt humorales, à vitio nimirùm ſanguinis per inquinamentum inducto dependentes, exiſtunt ſemper abſquè materiâ febrili, & à validis ſiſtematis nervei commotionibus unicé dependent, talis eſt febris acuta à panaritio, à puncto tendine aut nervo, à ſuppuratione fiente & dolirificâ, tales ſunt febres omnes productæ ſimpliciter ab ſtimulis (hic ſumo ſtimulum in latâ ſignificatione) illis quippè ceſſantibus ceſſat febris illicò; ſique eis ablatis ea perſeveret, tunc producta fuit in corpore ab excandeſcentiâ febrilli præcedente materia aliquâ febrili ex tribus prioribus deſignatis, febriſque tunc facta eſt humoralis. Ea omnia edocet apud ægros obſervatio conſtans.

Proximum jàm foret, ut febrilia enarraremus ſymptomata eaque ex ſtatuta priùs cauſa continenti potiſſimùm deduceremus; verùm explicationem eorum ad ſequentia ablegare conſultius nobis viſum eſt, quando nimirùm febres ſpeciatim pertractabuntur, præter quàm enim quòd ea in febre qua-

vis non eadem existant, plures occurrunt quoque circunstantiæ ex quibus symptomata varia emergunt, in eo autem capite generalia & quæ febri essentialia sunt tradimus. Cum intereà functiones à motu cordis fluidorumque per vasa minima transfluxu potissimùm dependeant ac regantur, liquet in genere mutato motu cordis per frequentiam fluxuque fluidorum per vasa minima facto minùs libero functiones lædendas fore primo intuitu perspicuum sit, quod jàm sufficit.

Causæ febris remotæ innumeræ sunt, præter enim res necessariò afficientes, quæ sub sex rerum non-naturalium titulo comprehendi solent, dantur & fortuitæ ut balnea, unctiones, compressiones, sectiones, puncturæ, distractiones, divultiones, acria ingesta vel externè applicata, pus, ichor, sanies, & alia quamplurima inferiùs enarranda. Quæ quidem causæ omnes vel vices agendo stimuli (sumendo stimulum in latâ significatione hoc est ut corpus quodvis stamina nervea plurimùm concutiens vel per se vel per accidens) vel materiam febrilem progenerando aut exitando, febrem sem-

per producunt prout in ſpeciali febrium tractatione declarabitur.

COROLLARIUM. Modo quintuplici excitatur à cauſis remotis cauſa febris continens ſeu febris ipſamet pathologicè ſumpta nimirùm aut per ſtimulos aut per aliquam ex quatuor expoſitis materiebus febrilibus.

Illud Corollarium eſt practicum, ac ei benè attendant Medici juniores.

Cùm in Febre accensâ intendantur vires cordis & ſanguiferorum, tum & fluidi ſanguinei vires agitativæ ei intrinſecæ accreſcant, fiet cùm materiæ febrilis cauſa erit inſpiſſans, ut tunc febris ſpectari poterit veluti earum potentiarum molimen (in quo tamen ſæpè ſuccumbunt, imò ab arte adjutæ) ad diſcutiendum hærens in vaſis minimis obſtaculum tendens. Et in eo ſenſu molimen illud vocari poterit naturæ opitulatricis. His namque viribus pellitur fluidum ſanguineum materiâ febrili inquinatum, atteritur, ſubigitur, ſic ut tandem factum fluxilius arteriolas quaſque liberè pervadat ſerumque in lymphatica & quoſvis ductus ſecretorios liberè dimitat, tùm quod ejus erat ſuperfluum videlicet anteà ulteriùs

retentum in ſanguiferis aut etiam inemendabile ex materiâ morbificâ ei inhærente immutabili, per vias aut alvinas, aut cutaneas, aut renales, aut ſalivales, aliaſve è corpore ut nocivum excernatur vel illud inemendabile materiei febrilis ſero dilutum in ductus lymphaticos alioſve ſecretorios ablegetur velut extrà ſanguinis circulationis vias, remanens tamen in corporis parte aliquâ velut incuneatum. Ità ſanè tollitur febris à potentiis prædictis, cùm ab inſpiſſante materiâ febrili producta eſt : ità Criſium theoriæ lux affertur,

Verùm ſi materia morbifica ſpectetur minimè ut inſpiſſans, ſed tantùm ut ſanguinem rarefaciens, imò magis ſi febris à materia morbificâ ullâ non pendeat, molimen illud non opitulatricis verùm deſtructricis naturæ habendum ſemper erit; quippè quod prædicti motus omnes febriles in ruinam totius corporis unicè conſpirent, minimè verò ad expulſionem aut emendationem cauſæ conferant, quin potiùs intendant ejus actionem; obſervamus enim actionem fluidorum & ſolidorum adauctam corpuſculorum rarefacientium vires vireſque ſtimulorum inten-

dere, vel ſaltem corpus magis exindè diſponi ad ulteriùs ex his cauſis patiendum. Ità ſi febris à puncto tendine aut nervo aut aponevroſi, ità ſi ab intenſo dolore panaritii, ligaturave aliquâ moleſta pendeat; quid conferet molimen febrile? nonne tendet unicè ad corporis ruinam ut experientia demonſtrat? ſed tranſverſim ſeca tendinem aut partem ejus punctam oleo therebintinæ calido imbue, aut arctam ſolve & dolorificam ligaturam, febris ſedabitur.

COROLLARIUM. In priori caſu ſpontanei motus febriles interdùm ſemetipſorum curatores ſunt, ſæpiùs ruinam inferunt cùm ſibimet relinquuntur, undè arte opitulatrice indigent ut plurimùm, in caſu poſteriori deſtructores ſemper ſunt, & ſemper arte indigent, eorumque cauſæ aliundè quam à vi febris amovendæ.

Febris per frequentiam pulſus cum læſione functionum quâcumque cognoſcitur; nec intereſt an adſit calor an frigus; an caput doleat nec ne; an plura an pauciora adſint ſymptomata, & quæ. Sufficit ut cum frequentiâ pulsûs ſymptomata pronata fuerint.

Febris ex naturâ ſuâ periculoſa exiſ-

tit, impugnat namquè directè principium vitale, quod à sanguinis periodo semper dirigitur; cùm frequentia motûs cordis, difficilisque per vasa minima sanguinis progressus circulationi adversentur, quæ ad vitam perennandam pacatè & liberè perfici debet. Sunt tamen febres aliæ aliis periculosiores, prout inferiùs declarabitur, dantur & vix periculosæ ità ut absquè periculo pronuntientur. Febris, sed per accidens, morbos alios graves interdùm sanat atterendo nimirùm ac velut consumendo materiam eorum morbificam eamve è corpore eliminando; verùm sanatio hæc fit semper cum periculo. At cùm morbus is periculosior sit interdùm ipsâ febre aut magis contumax aut difficilior sublatu, ideò superveniens febris tunc habetur ut optatior, & cùm morbus prior solvitur, hæc salutaris nomen interdùm, accipit, morbique alterius medicatrix habetur.

Cùm in febre, ut patet ex prægressis detur plenitudo nimia sanguiferorum, fluida nimirùm præcluso in vasa lymphatica & secretoria aditu libero cum jam solito copiosiùs in sanguiferorum systemate retineantur, corque & san-

guiductus plurimùm laborent cum metu ruptionis in minimis aut cohibitionis ſanguinis per ipſa tranſluxus adeòque inflammationis, quæ in febribus adeò familiaris eſt, ideò imperanda in genere diæta parca & tenuis, quò chyli copia minor in ſanguifera influat, ſimulque fluxilior ſuggeratur ſanguini qui inſpiſſatur ut plurimùm à materiâ febrili, quique proin diluendus eſt. Quoniam inſuper in febre ſucci digeſtivi vitioſi ſunt, & organa chylopæa ex febre laborant, digeſtioneſque idcircò malè perficiuntur, tantò magis quò ſæpiùs pravus in primis viis præſens eſt prævius ſuccorum apparatus, ideò & eâ etiam ratione ab alimentis ſolidis abſtinendum, ne cauſa febrilis ex parte primarum viarum aut nova progerminet aut jam præſens augeſcat. Fit ex his omnibus ut febrientes ad juſcula reduci ſoleant; qui inſimul aqua ſolâ vel ptiſana aliquâ diluente imò ſæpè refrigerante potandi.

Verùm cùm periculum ſit in mora, turgidaque nimis ſanguifera ab onere molis fluidorum exuberantium citò levanda ſint ne ſuccumbant præſertim minima, fiantque inflammationes in viſceribus

visceribus sæpè lethales, insimul cùm ad id opus præstandum nullum missione sanguinis efficatius ac magis expeditum adsit auxilium, ideò venæ sectio in febribus adeò familiaris est præsertim morbi initio ac plerùmque pluries repetita. Ubi quidem animadvertendum febrientes in lecto velut sine viribus jacentes missiones sanguinis plurimas ferre valentiùs iis, qui non febricitant licet viribus magis polleant, eosque postremos à sanguinis missione repetitâ in languorem virium febrientibus longè plus projici, quòd nimirùm vasa sanguifera nimis fuerint inanita flaccidaque ac velut enervata evaserint; secùs in febrientibus, quorum sanguifera nimiùm abundant fluido, hinc à missione sanguinis etiam repetita eriguntur eorum vires. At etiam notabimus à missione sanguinis abstinendum esse in frigore febrili, secùs, æger in lypothimiam incidit aut syncopem, aut saltem dejectus valdè viribus fit. Quod sanè significat vires cordis & sanguiferorum imminutas tempore frigoris febrilis, licet pulsus frequens sit, undè ut & ex plurimis casibus liquet pulsus frequentiam non opponi ejus debilitati.

Pariter & easdem ob causas funestosque aut saltem graves futuros eventus non secanda vena in febre lentâ consumptis ejus levaminis gratia; cùmque secatur illud sit ex necessitate ob imminens nimirùm ex supervento aliquo symptomate periculum vel ob morbum ei complicatum, qui missionem sanguinis exigit; mittitur intereà sanguis cum cautelâ & parcâ manu, virium namque lapsus ex eâ missione sanguinis semper sequitur, languetque magis æger. Missio sanguinis celebranda potissimùm in akme febrili nimirùm cùm æstuat corpus sæviuntque symptomata maximè autem in exacerbatione, aut accedit symptoma inflammatorium; nec obstat sudor interdùm copiosè effluens modò fuerit symptomaticus, qui timidos & ignaros interdùm avertit à sanguinis missione cum malis ægri rebus.

Verùm cùm febres è pravorum inprimis viis succorum apparatu indèque pronato in massa sanguineâ inquinamento ut plurimùm quæ tractandæ occurrunt originem trahant, indèque foveantur; hinc incunctanter, quandò semel per venæ sectionem, diætam & potum largum aquosum aut etiam re-

frigerantem febrilis æſtus paululùm remiſerit, abſque morâ, inquam, purgandus æger aut per ſuperiora aut per inferiora, prout caſus exegerit, iterandaque deinceps identidem cathartica plùs minùſve juxtà neceſſitatem, quò materia febrilis exuberans & inemendabilis foràs eliminetur. Ubi quidem admonemus minimè expectandam eſſe materiæ febrilis coctionem hoc eſt attenuationem commiſſam naturæ id eſt febri ipſimet, ut antiqui agere ſolebant, obſervatio namque docuit nos illud fieri ſolere cum malis ægri rebus, ſic ut hinc inflammationes viſcerum accedant lethales, aut ſi morbus curetur, progignantur abſceſſus, ſæpiùſque in viſceribus, cùm ægri deinceps aut internecione lentâ aut convaleſcentiâ ancipiti, difficili, laboriosâ. Hinc fit ut cùm purgemus ab initio morbi, turbemus ſed cum bonis ægri rebus progeſſum materiei morbificæ, nec ut antiqui obſervemus dies criticos, nec ſuperveniant criſes frequentes ut olim. Scimus namque per experientiam certam in febribus accutis minimè fidendum eſſe naturæ, artem autem multùm exercendam etiam ab initio, ſi ægros plures ab orco

velimus removere. Undè illud adagium hîc apprimè locum habet, *Principiis obsta, serò medicina paratur.* Et sanè præter experientiam rationi consentaneum est semper imminuere etiam ab initio febris causam ne in illâ expectatione vanâ naturæ opitulatricis ægrum videamus à febre interimi cum artis opprobrio.

Verum quidem est per cathartica in morbi principiis adhibita plerùmque materias valdè fluidas tantùm expurgari, ità ut ab spissamento materiei febrilis sanguis non liberetur, morbumque proindè protinùs non debellari sed procedere suaque percurrere tempora, intereà certum est eum infringi aliquatenùs, si enim ab initiis cathartica omissa fuerint, observamus ægros in summo versari periculo & occumbere quam plures invitâ arte quamquam optimâ.

Præter autem diætam missionem sanguinis, & purgationem, quæ auxilia universalia apud febrientes audiunt, ægris ejus modi opitulandum quoque est sæpiùs refrigerantibus & diluentibus, imprimis cùm æstus aut acrimonia eos valdè divexat, hinc expotandæ ptisana emulsionatâ, aqua pulli junioris, pti-

ſana oryzæ, hordei & ſimilibus interdùm etiam ſed infrequentiùs in noſtrâ regione aqua nitroſa ; quem etiam in finem præſcribimus etiam acida præſertim cùm æſtus ſummus eſt ut ſirupum de limoniis, de granatis, ſulfuris ſpiritum ad gratam aciditatem in aqua aut ptiſana aliquâ refrigerante additum, item julepos refrigerantes & interdùm edulcorantes, in quibus dilui ſolent aut ſirupi acidi memorati aut ſirupus de nymphea, ut & emulſiones cum prædictis ſirupis. Quod autem febrientes dolore anxietate ſæpiùs laborant aut ſomno difficili, ideò in eis curandis narcotica ſæpiùs præſcribuntur, ut ſunt laudana, ſirupus papaveris albi, quæ emulſionibus ſæpè aut julepis ſociantur, & plura alia opiatica.

Ad alvum autem liberam ſervandam vel etiam interdùm ad temperanda aut humectanda viſcera enemata magni uſûs ſunt magis aut minùs laxantia vel humectantia ſimpliciter aut refrigerantia, aliave.

Sunt & alia diverſi generis auxilia quæ in febribus pro re natâ adhibentur, quæque nonniſi in ſpeciali eorum hiſtoria indicanda ſunt. Inter hæc autem

dantur velut specifica quæ ideò febrifuga dicta fuere, interquæ eminet cortex peruvianus, quorum usus etiam speciatim declarabitur; in eo enim capite generalia duntaxat circà febres afferre fuit animus.



CAPUT SECUNDUM.

De differentiis Febrium.

IN assignandis febrium differentiis inanes disputationes non attingemus, verùm quæ magis proficua Medico nobis visa sunt in medium afferre juvat.

Quare 1°. Febres vel continuæ sunt, vel intermittentes. Febris *Continua* dicitur, quæ non cessat donec penitùs fuerit debellata.

Intermittens autem, quæ ut ut cessare visa sit, redit iterùm & quidem ut plurimùm pluries.

Febris continua vel est febris brevis simpliciter, vel acuta vel lenta.

Febris brevis simpliciter ea est, quæ intrà dies aliquot terminatur sine periculo. Ut febris ephemera, synocus simplex, item febris ex fiente suppuratione in parte externâ carneâ pronatâ.

Febris acuta ea dicitur, quæ citò & cum periculo sua percurrit tempora. Extendi solet ad diem 14um. interdùm ad diem 21um. tuncque dicitur acuta extensa. Dicitur deinceps *acuta per decidentiam* ad diem 40um. sed non ultrà. Tales sunt synochus putris, febris maligna, febris ardens, febris ex inflammatione visceris alicujus aut etiam partium externarum graviter affectarum præsertim tendinearum aut ligamentosarum pronatâ febris ex vehementi, ut periculosâ ratione loci affecti, suppuratione fiente excitata.

Febris lenta ea dicitur, quæ diù durat & ad minùs plùs quam dies quadraginta. Ut hectica, aut lenta quævis ex parte suppurante aut viscere obstructo dependens.

Febrium intermittentium species antequàm attingamus notandum duplicem in eorum curriculo occurrere statum alterum in quo febris præsens est, alterum in quo neutiquàm. Prior nuncupatur *Accessio* vel *Accessus Febrilis*, posterior *Intermissio*.

Jàm verò cum typus ex accessionibus duabus & intermissione constitutus varius sit in intermittentibus, ideò plu-

res conſtituuntur febrium intermittentium ſpecies.

Ità febris intermittens dicitur *Quotidiana* cùm ſingulis diebus accedit acceſſio.

Tertiana cùm alternis diebus. *Quartana* cùm quarto quolibet die computando ab unâ acceſſione ad ſequentem incluſivè, undè in febre quartanâ inter acceſſionem utramque dies duo liberi ſunt à febre. *Quintana* cùm quinto die, adeòque dies tres liberi ſunt à febre, & ſic porrò aliæ intermittentes denominationem ſuſcipiunt. Prædictæ febres propterea dicuntur *Periodicæ*. Cùm autem intermittens febris nullum obſervat typum ſive ordinem in ſuis acceſſionibus, nec ideò periodica eſt, nominatur *Erratica*.

Præterea febris intermittens periodica dicitur *Duplex quotidiana* cùm intrà diem hoc eſt viginti quatuor horas duæ obſervantur acceſſiones. *Duplex Tertiana*, aut cùm diebus, quibus redire debet acceſſio tertianæ, duplex obſervatur acceſſio, dùm dies intermedia ab acceſſione omninò libera eſt, aut cùm ſingulis omninò diebus (quod contingit frequentiùs) recurrit acceſſio, ità

tamen ut acceſſionis tertiæ diei initium reſpondeat quoad horam initio acceſsûs primæ diei, ità pariter initium acceſsûs quartæ diei reſpondeat initio acceſſionis ſecundæ diei, & ſic porrò diebus alternis quoad acceſſus reliquos.

Cùm autem quartanæ periodus dierum ſit quatuor, febris *Duplex quartana* nuncupatur, cùm invadit acceſſio tùm primâ tùm ſecundâ die, dùm tertia dies libera eſt, ac iterùm deindè quartâ & quintâ die, ità tamen ut primæ diei acceſſio ratione horæ invaſionis reſpondeat acceſſioni quartæ diei, & acceſſio ſecundæ diei acceſſioni quintæ, tùm deinceps acceſſio quartæ reſpondeat acceſſioni ſeptimæ, & acceſſio quintæ acceſſioni octavæ, dùm intereà dies ſexta libera eſt, & ſic deinceps.

Febris *Quartana triplex* appellatur, cùm ſingulis omninò diebus invadit acceſſio, eâ tamen lege ut acceſſio primæ diei reſpondeat acceſſioni quartæ, acceſſio ſecundæ diei acceſſioni quintæ, acceſſio tertiæ diei acceſſioni ſextæ, acceſſio quartæ diei acceſſioni ſeptimæ diei, & ſic porrò. Et ex prædictis determinari facilè poterunt quæcumque febrium intermittentium periodicarum appellationes.

Ex præfatis circà febres intermittentes eruuntur facilè denominationes similes quæ febribus continuis acutis tribui solent putridis præsertim & malignis in quibus observantur exacerbationes; ità pro typo vario febres continuæ exacerbantes dicuntur nunc *Quotidianæ*, nunc *Tertianæ*, nunc *Duplices tertianæ*, & sic porrò, prout de intermittentibus periodicis jam dictum fuit; quemadmodùm etiam cum sine typo & ordine exacerbationes contigunt, febres hæ exacerbantes dicuntur *Erraticæ*.

Præter autem febres continuas & intermittentes dantur febres aliæ, quæ inter utrasque ambigere videntur *Subintrantes* appellatæ, quæ proin à nonnullis de genere intermittentium ab aliis autem de genere continuarum existimantur; quod quidem perindè est, licet ad posteriorem sententiam accederem, cùm nulla in eis absoluta observetur intermissio.

Febris namque *Subintrans* ea appellatur, quæ cùm fermè prolapsa est protinùs iterùm resurgit sive paulatim sive subitò.

Postremò datur febris species, quam

antiqui ex quotidianâ continuâ & tertianâ intermittente compositam dixerunt, *Hemitritæus* appellata id est semitertiana quæque ab Hippocrate dicta fuit (a) *Phricôdes* id est *Horrida*. Verùm febris hæc est continua exacerbans eâ lege ut diebus alternis exacerbatio incipiat per horrorem aut etiam rigorem diù deinde perseverantem prout accessionibus tertianæ intermittentis consuetum est, diebus autem intermediis incipiat exacerbatio solummodò cum refrigeratione, ut in quotidianâ febre. Et hæc satis sint circà differentias febrium ratione continuitatis earum & intermissionis.

2°. Febres vel humorales sunt vel non humorales.

Febres *Humorales* eæ dicuntur, quæ à massæ fluidorum vitio ortum duxere foventurque. Ut inter continuas acutas febris putrida, maligna, pestilens, aliæque plures ut febres lentæ omnes & fermè omnes intermittentes.

Febres *non humorales* eæ sunt, quæ tantùm à solidorum vitio ortæ sunt ac foventur, ut febris ex fiente abscessu

(a) Vid. Gorrhei Def. Med. in vocabulo *Emitriçaios Puretos* & in vocabulo *Phricôdes Puretos*.

aut ſuppuratione quâvis dolorificâ, ut febris ex dolente parte ſuborta velut ex panaritio, puncto tendine, operatione aliquâ Chirurgicâ dolorificâ, aut applicato cauterio ſive actuali ſive potenciali ambuſtione, &c. In quibus quidem caſibus abſque fluidorum dyſcraſi excitantur febres & ceſſantibus ſolidorum febrem procurantibus vitiis ceſſat illicò febris. Hinc liquet febres humorales habere materiam febrilem, non humorales neutiquàm, & cur in theoriâ febris nunc difficilem ſanguinis tranſitum per vaſa minima cum quibuſdam circumſtantiis, nunc ſyſtematis nervei violentam commotionem pro cauſis frequentiæ pulſus febrilis aſſignaverimus, eoſque in rebus medicis parum verſatos eſſe, qui cauſam frequentiæ pulsûs febrilis unicam eſſe exiſtimant.

3°. Febres vel eſſentiales ſunt vel ſymptomaticæ.

Febres *eſſentiales*, à quibuſdam nuncupatæ *Primariæ* eæ ſunt, quæ à cauſa ſibi propriâ dependent, nec morbi alterius effectus ſunt. Et hæ febres ſemper exiſtunt humorales.

Febres *Symptomaticæ*, que etiam *ſecundariæ*

Secundariæ dicuntur, eæ ſunt, quæ morbis alterius ſunt effectus, inflammationis putà præcedentis, ulceris, fiſtulæ, abſceſsùs facti non purgati; tales quoque ſunt febres omnes non humorales anteà recenſitæ. Undè liquet febres ſymptomaticas nunc humorales eſſe, nunc non humorales.

4°. Placuit tandem febribus varia imponere nomina tùm ratione cauſarum nonnullarum inſignium à quibus dependent tùm ratione ſymptomatum nonnullorum, quibus ſtipantur.

Et quidem cauſarum ratione febres nuncupantur *Venereæ*, *Scorbuticæ*, *Scrofuloſæ*, *Cancroſæ*, *Morbilloſæ*, *Varioloſæ*, *Arthriticæ*, *Peſtilentiales*, *Catharrales*, *Lacteæ*, *inflammatoriæ*, *Suppuratoriæ*.

Ratione autem ſymptomatum febres nonnullæ dicuntur *Algidæ*, *Ardentes*, *Lypiriæ*, *Syncopales*, *Typhôdes*, *Elôdes*, *Aſſodes*, *Epialæ*, *Hidrôdes*, *Lyngôdes*, *Phricodes*, *Purpuratæ*, *Scarlatinæ*, *Petechiales*, *Inflammatoriæ*, *Eryſipelatoſæ*. Et ſic porrò ex genio cauſæ febrium peculiari vel etiam ſymptomatum naturâ diverſâ febribus impoſita fuerunt nomina, quæ apud Practicos obtinent.



CAPUT TERTIUM.

De Febre Ephemerâ seu Diariâ.

FEBRIS hæc ità dicta fuit, quòd per diem hoc est horas viginti quatuor durare soleat, extenditur tamen interdum ad diem tertium inclusivè; cùmque ulteriùs extenditur abit in synochum imputrem, aut etiam putrem.

Febris *Ephemera* ea est febris continuæ simpliciter brevis especies, in quâ pulsus magnus est modicè celer ac frequens, æqualis & mollis, calor mitis absque gravibus symptomatis, quæque intra diem aut ad majus intrà tres dies sua percurrit tempora.

Febrem hanc non antecedit cibi fastidium, nec corporis lassitudo, nec horror, multave oscitatio, verùm repentè ea febris velut tota accedit cum calore, interim nullis febrilibus simptomatis notabilibus stipata est; qualia sunt capitis dolor aut ventriculi, nausea, vomitus, inquietudo corporis, æstus, immutationes in urinâ, & similia; solvitur brevi, inter-

dùm latenter ſine manifeſtâ ullâ evacuatione, ſæpiùs per copioſos halitus aut madores; aut per ſudores nequè multos nec fœtidos

Cauſa hujus febris eſt materies febrilis conſtans particulis parùm craſſis, quibus admixtæ ſunt & laxè adunatæ multò copioſiores particulæ tenues, duræ, actuoſæ, à quibus quidem ſanguis exagitatur protinùs duciturque in rarefactionem non tamen impetuoſam, quòd ſanguis vix ſpiſſior fuerit factus, ex quâ rareſcentia aliquantùm difficilè tranſit ſanguis per vaſa nonnulla minima incitatis ſimul ex tenſione majori ſuſcitatâ cordis & ſanguiferorum viribus & adauctis, ex quibus ſequitur frequentia pulſus modica & celeritas, magnitudo ſine tenſione tamen vel duritie, calor adauctus nec tamen æſtuoſus nec acer, neque ſymptomatum gravium productio, ſanguine nimirùm non ægrè admodùm per vaſa minima tranſeunte, ſymptomatum ſiquidem febrilium gravitas à difficilè eo tranſitu excitatur potiſſimùm.

His autem materiei febrilis particulis cùm exigua inſit viſcoſitas, ea facilè

ſolvitur, particulæque eæ tenues motu ſanguinis agitativo vel deſtruuntur facilè, vel ſolutæ penitùs per cutim cum diapnœ excernuntur, undè citò diſſipatâ materiâ febrili febris brevitas ejuſque terminatio aut modò inſenſibili aut per halitus copioſos & madores, aut per ſudorem aliquem ſuavem.

Cauſæ febris diariæ remotæ evidentes eſſe ſolent; eæ namquè potiſſiùm exiſtunt vigilia, ſollicitudo, mæror, ira, ſolis æſtus, laſſitudo poſt exercitium immodicum temulantia, inedia, & ſimilia; quæ quidem cauſæ omnes febrem eam excitant, quatenùs occaſionem præbent, ut ſanguis inſpiſſetur leviter ſimulque fiat aliquantùm acrior, ſeu, quod idem eſt quatenùs procreantur ab eis in ſanguine particulæ nonnullæ paulò craſſiores ac nonnullæ paulò duriores & magis activæ, quæ omnes ſimùl ſumptæ ut materia febrilis febris ephemeræ ſpectari poſſunt.

Febris ephemera ex præfatis cognoſci aut ſaltem ſuſpicari poteſt, neque enim de eâ niſi cùm terminata eſt Medicus certus fit, cùm interdùm talis exiſtimata continuetur in putridam,

fit enim aliquandò ut materia febrilis tùm in ſanguine tùm in primis viis deliteſcat gravis? cujus ſpiſſamentum non evolvitur niſi poſt dies aliquot, febrem acutam excitaturum, dùm in principio partes tantùm quædam ipſius mobiliores extricantur, ac ſine gravibus ſymptomatis febrem excitant, quæ imponit pro febre ephemerâ.

Semper eſt abſque periculo febris ephemera, tùm quòd gravibus careat ſymptomatis, quod parùm difficilè fluere ſanguinem per vaſa minima, primaſque vias à pravorum ſuccorum apparatu liberas eſſe denotat; tùm quòd ipſius materia motibus ſanguiferorum ſpontaneis & motu ſanguinis agitativo evolvi facilè & attenuari valeat per cutem deindè abſque moleſtiâ diſcutienda facilè & ablegandâ. Intereà tamen cùm circà febrem eam falli poſſit medicus, ut vidimus, ſuſpendendum eſt judicium ad tertiæ diei finem.

Committenda eſt naturæ febris hujus ſanatio hoc eſt ſanguiferorum motibus ſpontaneis & ſanguinis agitativo. Id unum tantummodò ab arte expetitur, ut nulla committatur culpa,

quâ in incepto opere natura turbetur; quapropter tota primâ die relinquendus æger ſine alimento potanduſque aquâ tantùm aut ptiſanâ aliquâ diluente ut infuſo capillorum veneris; ſi autem ultrà diem febris protrahatur juſcula ei exhibenda quoquè erunt, interdicto omni alimento ſolido, ne ab eo pravi quidam ſucci in primis viis procreentur, qui febrem putridam excitare poſſent, nunquàm enim in febre quâcumque digeſtiones benè fiunt. Verùm ſi calor paulò nimis adauctus perciperetur, vel aliquod accederet ſymptoma paulò moleſtum ut capitis dolor aut aliud, ſanguinem ſaltem ſemel mittere prudens foret, tantò magis quò cùm febris ephemera corpora potiſſimùm juvenilia & robuſta aggredi ſoleat, ex tali evacuatione nihil detrimenti timeri poſſit. De cætero ſi iis obſervatis febris intrà dies tres non diſſipetur, tunc medicus illud non eſſe febris ephemeræ genium gnarus inquiret per ſigna an tunc febris ſynochus putris aut imputris exiſtat, quò, ut infrà docebitur, febrem quantocyùs efficaciter impugnet. Imò ſi antè diem tertium ſigna putredinis manifeſ-

tentur, ſuccurret ut febri putridæ incipienti.



CAPUT QUARTUM.

De Synocho Imputri.

ANTEQUAM ulteriùs procedat ſermo quid per *Synochum* & *Synechen* antiqui intellexerint declarandum.

Itàque juxtà eorum doctrinam febris continua humoralis acuta dividitur in Synochum & ſynechen.

Febris *Synochus* à latinis dicta *Continens* ea eſt, quæ ſine exacerbationibus ſua percurrit tempora. Et duplex eſt *Non-Putris* & *Putris* ; utraque autem triplex eſt nimirùm *Omotonos* , *Anabatica* ſeu *Epacmaſtica* , & *Paracmaſtica*.

Omotonos dicitur febris , cùm à principio ad finem eodem tenore perſeverat ; *Anabatica* ſeu *Epacmaſtica* quæ paulatim increſcit ; & *Paracmaſtica* que perpetuò ſenſimque decreſcit.

Febris *Syneches* à Latinis dicta *Con-*

tinua per excellentiam ea febris continuæ humoralis ſpecies, in quâ contingunt exacerbationes.

Nos autem clarioris doctrinæ gratia ita eas febres humorales diſtinguemus, eiſque ſequentia imponemus nomina.

Febris humoralis continua acuta vel eſt imputrida vel putrida.

Imputrida ea eſt, quæ ſine magno ſuccorum pravorum in primis viis apparatu, ac ſine magno & contumaci ſanguinis inquinamento ægrum affligit.

Putrida verò, quæ cum magno & inſigni ſuccorum pravorum tùm in primis viis tùm in maſsâ ſanguineâ apparatu afficit.

Jàm verò febris putrida vel eſt exacerbans vel non exacerbans.

Exacerbans ea eſt in quâ contingunt exacerbationes. *Non-exacerbans*, quâ nullæ obſervantur.

His ita ſtatutis *Synochus imputris* eſt febris continua non-putrida, in quâ pulſus magnus eſt, plenus, frequens & velox, calor vehemens, reſpiratio moleſta, cum faciei rubore, pulſatione magnâ arteriarum temporalium, dolore capitis aut ſaltem gravitate, ſomnolentiâ corporiſque ſegnitie ac velut laſſitudine.

Causa ejus est materia febrilis constans particulis nonnullis parùm spissis, sed multò pluribus duris satis ab aliis extricatis ac valdè activis. Quamobrem materia hæc febrilis satis sanguinem non inspissat ut horrores excitentur; sed particulæ activæ in motum protinùs deductæ magnam excitant in sanguine rarefactionem ac velut excandescentiam. Hinc synochus imputris cùm ingruit non persentiuntur horrores, ad majus quædam accedunt refrigerationes, citò autem calor accenditur deindèque per totum febris curriculum perseverat; nimirùm cùm primùm febrilis materia transiit in sanguinem vel in eo est cumulata, particulæ ejus crassæ ac viscosæ eum leviter inspissant, fluxumque ejus per vasa minima aliquantùm difficiliorem efficiunt subsequente exin frequentiori pulsu & frigoris sensu aliquo interdùmque vix ullo. Verùm quoniam repetitis cordis arteriarumque contractionibus & in dato tempore frequentioribus exagitantur particulæ sanguinis, quæ activiores sunt numerosæ in tali materia febrili citò extricantur plurimumque motûs agitativi suscipiunt cæteris parùm cohærentes, undè san-

guis in magnam ducitur rareſcentiam, ex quâ tenſis protinùs ac plurimùm cordis cavitatibus vaſiſque ſanguiferis vires eorum intenduntur, & ita pulſus fit vehemens, plenus, valdè frequens ac velox cum calore magno in toto corpore accenſo. Sanguis ergò fluit cum magnâ dilatatione arteriarum fluxu tamen aliquantùm difficili per vaſa nonnulla minima ſed per quam plurima impetuoſo, & vehementi attritu, gerens ipſemet globulos cum ſero plurimùm exagitatos, expanſos, & minùs inter ſemet cohærentes, undè facilè explicatur rubor cutis præſertim faciei, in quâ ſanguifera cutanea & numeroſiora ſunt & magis ſuperficialia.

Cùm autem pulmo totum tranſmittat ſanguinem à ventriculo cordis dextro ſuſceptum pleno gurgite & è toto corpore reducem, ſequitur à rarefacto ſanguine & impetuosè propulſo vaſa ejus dilatanda fore admodùm ac laboratura, undè magna in eâ febre ac laborioſa reſpiratio cum anima calidâ.

Cùm vaſa capitis ſanguifera numeroſa ſint & ampla ipſius molis ratione, plurimumque proindè ſuſcipiant ſan-

guinis illius rareſcentis & impetuoſi, ſequitur arterias ejus dilatandas fore admodùm, ſit ut pulſus earum ab ægro ſentiatur in temporibus ubi tenſæ valdè ſunt & ſuperficiariæ ſuperſtratæ muſculo crothaphitæ valdè duro ac tenſo; inſimul membranas capitis tùm externas ac potiſſimùm pericranium tùm internas hoc eſt meninges, cunctas membranas illas ſenſu exquiſito donatas eo ſanguine valdè tendendas fore ac moleſtè, ita ut ſequatur capitis dolor aut gravitas; imò ex dilatatione ulteriori ſanguiferorum ſubſtantiam corticalem cerebri aliquantùm fore comprimendam, undè ſomnolentia; ſicut & ex repletione ſanguiferorum nimiâ in membranâ pituitaria ſequitur interdùm eorum ruptio, undè narium hæmorragia, quæ in eâ febre ſat ſæpè ſupervenit.

Poſtremò cùm ad facilem vegetumque motum muſcularem ſineque moleſto ſenſu exercendum requiratur haud nimia ſanguiferorum in eis repletio, patet muſculorum ſanguiferis ſanguine nimis rareſcente tumidis contractiones eorum ægrè fore peragendas, undè corporis ſegnities, ſimulque extenſione

ſanguiſerorum nimiâ moleſtum aliquem ſenſum fore excitandum, qui in muſculis dicitur ſenſus laſſitudinis.

Ut ut autem materia febrilis jàm aſſignata prædicta excitet ſymptomata gravia & ſynochi imputris genium determinet; ſciendum febrem eam nihilominùs inter putridas non recenſeri; nam per *Putredinem* in febribus intelligunt practici inſignem pravorum ſuccorum in primis viis apparatum & inſigne diùque reſiſtens ac contumax in ſanguine inquinamentum, quæ cùm abſint in ſynocho ſimplici ideò dicitur febris hæc imputris hoc eſt ſine putredine; licet tamen in eâ ſanguis ab inquinamento non ſit immunis & primæ viæ à pravis ſuccis penitus liberæ non ſint; quod & contigit ſed in minore adhuc gradu in febre ephemerâ, quæ imputris propterea quoque dicitur. Sed in febre ephemerâ imò in ſynocho ſimplici prædictæ duæ conditiones ad eum non reperiuntur gradum, ut conſtituatur putredo in eo ſenſu, in quo eam in febribus medici accipiunt.

Cauſæ ſynochi ſimplicis remotæ eædem fermè ſunt ac ephemeræ, at in majori gradu & aliquantùm potentiores,

res, ità ut ab his producatur materia febrilis paulò ſpiſſior ſimulque particulas magis duras & majoris molis in ſinu ſuo vehens ; indè fit ut in ſynocho ſimplici nonmodò ſæviora quam in ephemera producantur, ſymptomata, ut vidimus, verùm etiam ea diutiùs protrahantur & ad dies octo extendi ſolent, eo nimirùm requiſito tempore, quò ejus materia atteri poſſit, extricari à ſanguine diſcuti, ac eliminari, præſertim quòd in ſynocho ſimplici pravæ digeſtiones aut præceſſerint aut ſaltem fiant, ità ut ex his producantur pravi ſucci aliquantùm ſpiſſi ſimulque ſatis activi, qui fovent febrem, secùs in ephemerâ aut ſaltem parumper. Hinc fit ut inter Cauſas ſynochi ſimplicis remotas agnoſcere pluries debeamus pravas digeſtiones, quæ vergunt ad producendas materies amaras bileſcentes, quæ vomitus interdùm excitant, ſive abuſus liquorum ardentium aut obſoniorum aromaticorum pravis eis digeſtionibus occaſionem præbuerint, ſive hæ à cauſis latentibus fuerint præparatæ ac ſubitò poſteà excitatæ.

Ex præfatis cognoſcitur ſatis ſynochus imputris. Eam à primarum via-

rum vitio interdùm ſatis ac præcipuè ſoveri dignoſcetur per appetitum antè febris geneſim dejectum, per vomitus bilioſos præſertim ingruente febre excitatos, per oris amarorem, aliquam cardialgiam, dolores colicos fugaces, aliquam diarrhæam, fœtorem excrementorum aut flavedinem & ſigna ſimilia.

Febris hæc quamquàm multùm periculoſa non ſit, quòd nimirùm ab eâ inflammationes viſcerum graves ac tenaces excitari nequeant, de genere tamen acutarum abſolutè pronuntiari poteſt, præſertim cùm in putridam verti poſſit, neque circâ eam Medicus certò præſagire valeat niſi cùm declinare videtur. Ità febrem continuam accenſam videmus pluriès cum prædictis ſynochi ſimplicis ſymptomatis veluti valdè metuendis ægrumque terrentibus, intereà febris hæc remediis intrà paucos dies facilè cedit excitato ſub finem ſudore copioſo; è contrà interdùm febris continua hæc protrahitur, tùm dein ſub putridæ aut malignæ ſpecie ſe manifeſtat. Quare penes Medicum expertum ut cumque ſemper non eſt dignoſcere materierum febri-

lium indoles, quæ interdùm latent ac velut clandestinè incedunt aut mutantur. Undè in febribus cautus semper sit Medicus in prognosi ferendâ. Verùm illa dubitatio nihil ægro officit, cùm per symptomata, quæ apparent, dirigatur semper satis curatio.

Ad curandam eam febrem nutriendus æger jusculis, ac ptisanâ aliquâ diluente ac leviter refrigerante potandus, sanguis ob rarescentiam mittendus protinùs, iterandaque sanguinis missio si non remittat febris, imò magis si increscat, quod à primâ sanguinis missione sæpè evenit, eò quòd liberatis à plenitudine aliquatenus vasis imminutaque cordi resistentia & sanguifera & cor vehementius restituantur magisque exagitetur & rarescat sanguis. Refrigerandus quoque erit æger emulsionibus aut julepis, ut & enematis aquosis diluentibus ac leviter refrigerantibus. Tùm deinceps cùm febrilis æstus paulò remiserit instituenda erit purgatio cum tamarindis, sennâ, mannâ, cassiâ, ex quibus parabitur potio pro duplici dosi, quæ relicto die vacuo interdùm iteranda, dùm insimul per morbi decursum memorata alia

auxilia protrahentur. Si autem die ſeptimo aut octavo nonove remittentibus ſymptomatis ſudores ſupervenerint, qui morbi ſolutionem ſignificare ſolent, ii tunc vel naturæ committendi ſunt, vel arte promovendi exhibendo tamen levia hydrotica ut ptiſanam ex herbâ capillari aut floribus papaveris rheados ſed calentem, vel etiam potionem leviter ſudorificam cui addendum antimonium diaphoreticum circiter ad drachmam ſemiſſem.

Si autem poſt octo novemve dies non ſolvatur febris, vel ſi poſt ſudores remittens iterùm recrudeſcat, reſpicienda tunc febris erit ut putrida vel maligna juxtà naturam ſymptomatum & ſævitiem; eaque impugnanda erit abſque cunctatione & efficaciter, prout infrà docebitur.



CAPUT QUINTUM.

De Febre Putrida.

FEBRIS *Putrida* in genere appellatur ea febris continua acuta,

in quâ insignia occurrunt signa magnæ succorum pravorum in primis viis præsentiæ & gravis contumacisque in sanguine inquinamenti, in quâ quidem febre pulsus fat vehemens est frequens & plenus, identidem inæqualis, cum calore acri, cardialgiis, ructibus, nauseis, vomitibus, oris fœtore, linguâ sedimento aut albo au fusco obductâ, interdùm diarrheis biliosis aut fœtidis; ventris dolore imò nonnumquàm meteorismo, & similibus symptomatis pluribus aut paucioribus, & in diversis ægris variis, quæ tamen in primis viis pravorum succorum præsentiam semper ostendunt; quæque febris non cessat penitùs antè diem decimum quartum.

Febris putrida vel est *Non exacerbans*, vel *Exacerbans*.

Prior nuncupatur ab antiquis *Synochus putris*, à neotericis *Continens putrida*, posterior dicitur ab antiquis *Syneches putris* & à neotericis *Continua putrida.*

Febris putrida exacerbans pro vario exacerbationum typo nunc est *Quotidiana*, nunc *Tertiana*, frequentiùs *Duplex tertiana*, raró *Quartana*. Ejus

autem exacerbationes nunc incipiunt cum horrore aut frigore manifesto imò interdùm rigore, cum pulsus semper depressione velocis intereà; nunc sine frigore manifesto sed pulsûs depressione aliquâ, qui paulatim attollitur; at quocumque modo exacerbatio inceperit, febris deinceps multùm accenditur, & longè magis fuerit quàm tempore inter exacerbationes intermedio, quod nimirùm tempus est *Remissionis*, sævioraque fiunt symptomata.

Causa febrem putridam constituens est materia febrilis spissa satis, difficilè solubilis, particulas sat actixas in se gerens ægrè ab spisso sejungendas. Ea autem in sanguine quamquàm absolutè gigni & inchoari possit, ut ex retentione lactis aut lochiorum, nunquàm tamen febrem putridam excitat, quin priùs ex inquinamento sanguinis vitiati fuerint succi digestivi, pravusque in primis viis succorum apparatus excitatus fuerit, quo sanguis ulteriùs inquinatur ad producendam febrem putridam; frequentiùs autem fit ut ipsamet ea materia febrilis in primis viis potissimùm in ventriculo ex pravis

digeſtionibus tota progeneretur, ac in ſanguinem delata eum corrumpat ad febrem putridam ſuſcitandam & obſtinatè poſteà fovendam, tantò magis quò ſanguis hinc inquinatus ſuccos digeſtivos pravos colatoriis digeſtivis ſuâ vice ſuppeditat; quibus depravantur digeſtiones, undè materia morbi fomes perennat.

Cùm materia hæc febrilis in ſanguine indeſinenter præſens ſit, & à primis viis per vias chyliferas in ejus ſinum aſſiduò recipiatur, hinc ea febris non intermittit ſed continua eſt, neque ceſſat antè diem decimum quartum ob ſpiſſitudinem materiæ febrilis & abundantiam obſtinatumque è primis viis proventum; ex queis omnibus ſit ut tempus notabile inſumi debeat, quò ſolvatur penitùs ejus tenacitas ut corrigi poſſit ea materia morbifica ac fieri fluxilis eò uſquè ut illâ ſanguis & primæ viæ per evacuationes omnimodè liberari poſſint.

Cùm pravi illi ſucci febriles tranſeunt è primis viis fermè eodem tenore per totum morbi decurſum ac eiſdem prædititi qualitatibus, tunc febris eſt continua ſine exacebationibus. Cùm verò

quòd longè frequentiùs contingit, materia febrilis certis temporibus aut abundantior aut magis depravata in ſanguinis maſſam vehitur, iis temporibus ingraveſcunt effectus febriles, quod exacerbationes conſtituit, quæ perſeverant donec ſucci illi pravi ſuperadditi attenuati fuerint, partimque correcti vel eliminati, tuncque febris ad conſuetum ſtatum reducta *Remittere* dicitur. Febres illæ putridæ dicuntur proptereà exacerbantes, in eiſque notantur attentè à Medicis exacerbationes ac remiſſiones. Et hæ febres inter putridas frequentiùs obſervantur.

Febres putridæ ingruere ſolent cum horrore aut rigore, vel ſaltem refrigeratione; interdùm tamen, ſed rariùs, ingruunt abſque frigore notabili ita ut febris ocyùs incandeſcat; Verùm quovis modo incipiant, pulsûs adeſt depreſſio ſeu parvitas in initio cum frequentia, ſimulque franguntur vires cum anxietate & nonnunquàm doloribus obſcuris præſertim juxtà articulos, ſemper autem præter caput grave & aliquam in reſpiratione moleſtiam Symptomata adſunt, quæ ventriculum aut inteſtina pati ſignificant, qualia

ſunt aut nauſeæ aut vomitus aut colici dolores, ſed præſertim ventriculi dolor obſcurus cum anxietate aut cardialgiâ aut ſaltem aliquo gravamine.

Quæ omnia explicationem materiæ febrilis ſanè indicant ejuſque motum in primis viis, tùm ingreſſum in ſanguinem, ex quo febris putrida enaſcitur. Cujus quidem materiei febrilis actionem incipientem antequàm perpendamus, cùm ea per frigus ſe manifeſtare ſtatim ſoleat, de frigore febrili anteà dicendum eſt, præſertim cùm non modò in febrium putridarum verùm etiam in aliarum acutarum imò & lentarum ingreſſu ſæpiùs obſervetur; tùm & in exacerbationum ſive acutarum ſive lentarum febrium principio frequenter, in acceſſionum autem febrium intermittentium initio frequentiùs adhuc corripiat. Hujus verò gradus quatuor diſtinguendi. Primus qui reliquis levior eſt vocatur *Refrigeratio*, ſecundus *Horror*, tertius *Rigor*, & poſtremus, qui cæteris vehementior eſt, dicitur *Algor*.

Refrigeratio febrilis ponitur, dùm unà cum pulſu frequenti correpto ac depreſſo, æger frigus aliquod in cor-

pore disperſum præſertim in extremitatibus perſentit, quod ad cauſas externas minimè referatur, ita ut ſtragulis opertus & in cubiculo temperato de eo conquæratur, præſertim dùm in cubili movetur corpus.

Horror febrilis dictus à nonnullis *Horripilatio* conſtituitur, quandò cum pulſu frequenti, correpto, ac depreſſo, interdùm inæquali; æger perſentit frigus ſed inæquale, hoc eſt, quod nunc inſurgit nunc remittit iterùm reſurgens vehementiùs, & ità alternis vicibus iiſque breviſſimis eo velut quatitur, ita ut motus leves, obſcuros, tremulos, in corporis habitu, velut ſi cutis irregulariter variis in locis concuteretur, percipiat.

Rigor Febrilis eſt frigoris intenſi ſenſus cum membrorum præſertim mandibulæ inferioris concuſſione involuntariâ, manifeſta, ſpaſmodæa, ſimulque pulſu frequenti, correpto, valdè depreſſo, inæquali, identidem intermittente.

Febrilis algor ponitur, quandò frigore ſummo afficitur æger, fitque gelidus, cum exſolutione magnâ virium, corporis velut reſolutione, ſimulque

pulſu frequenti, inæquali, summè depreſſo, obſcuro, ac velut latente, identidem diù intermittente, accedente lypothimiâ ac interdùm ſincope.

Verùm notare intereſt, quod utcumque ægri de frigore moleſto in febribus conquærantur, contingere interdùm, ſed rariùs, illos ab adſtantibus deprehendi calidos, quin & ulteriùs nonnunquàm ac in ſtatu naturali; nunquàm tamen illud contingere in quarto gradu ſeu algore, raró autem in tertio gradu ſeu rigore; fieri autem conſueviſſe ut in frigore febrili percipiantur ægri ab adſtantibus reverâ frigefacti ſeu minùs calidi, imò algidi in extremis ut manibus pedibus naſo, ſimulque pallere videntur; ea autem ità deprehendi ſemper ab adſtantibus in algore febrili, frequentiſſimè veró in rigore. Notandum præterea incipientibus frigoribus febrilibus excitari ſæpè oſcitationes & pandiculationes, at frigus tunc non exiſtit intenſum, cùm enim intenditur eæ ceſſant; undè in algore febrili nunquàm obſervantur.

Cùm autem præfata, frigus quodcumque febrile repræſentent, quæ mox dicentur theoriam quoque exponent

ſtatûs corporis in quovis frigore febrili conſtituti, inſimulque cauſarum illud excitantium agendi modum ſeu ætiologiam ità ſtatuent, ut in aliarum febrium frigoribus explicandis excurrere neceſſum ampliùs non erit.

Cùm igitur febrium putridarum febrilis materia è primis viis in ſanguinem fluere incipit, eâ quidem inſpiſſatur ſanguis (eòque magis ſi jam in ipſo ſanguine fuerit præparata) quod quidem evenit vel ob pravorum eorum ſuccorum aceſcentiam vi coagulante præditam, vel ſaltem ob eorum ſpiſſitudinem, quâ inviſcatur ſanguis; is ergò liquor vivificus velut ſubitò factus craſſior ad fluendum per vaſa minima minûs habilis fit protinùs & ad egrediendum è cordis thalamis, tantò magis quò per totum ſyſtematis ſanguiferorum tractum factus minùs obſequioſus cordi expellenti magis reſiſtit, hinc excitabitur pulſus frequens & unà parvus ſeu depreſſus hoc eſt cum minori ſolito arteriæ diaſtole, prout in capitis primi initio fuit explicatum. Verùm ſi ſanguis à materià febrili magnoperè fuerit inſpiſſatus tanta opponetur cordi reſiſtentià, ut quam-

quamtùmvis cor nitatur in systole eum in arterias exprimere, aut minimè aut parumper exprimet, undè aut mors aut syncope, aut lypothimia, prout cor sanguine vel nullatenùs per tempus aliquod, vel per breve tempus, vel parumper se liberabit. Vel etiam pulsus fiet intermittens si effectus contractionis cordis, egressus nempè sanguinis ab ejus thalamis, identidem brevi tempore ob resistentiam nimiam suspendatur, rediturus deindè citò, quòd retentus in corde sanguis ejusque parrietes ultrà modum dilatans ac tendens fiat ei stimulus vehementior ad ingeminandam cordis actionem, quâ is utcumque resistens & anteà vim cordis irritam reddens jam exprimatur. Si verò à febrili materiâ in sanguinem dilabente inspissetur sanguis inæqualiter in suâ massa & nunc difficiliùs nunc minùs difficilè è corde egrediatur, vel si cordis in eo casu laborantis vires contractiles propter inæquabilem sanguinis per textum ejus musculosum transfluxum fiant ipsæmet inæquabiles, tunc è corde sanguis exprimetur nunc majori nunc minori quantitate & quidem nunc celeriùs nunc minùs celeri-

ter, undè pulſûs obſervabitur inæqualitas & ratione magnitudinis & ratione celeritatis & frequentiæ; tuncque percipietur pulſus à tangente frequens parvus & inæqualis.

Et ea ſunt phænomena ſeu ſymptomata, quæ quoad pulſum in frigoribus febrilibus febrium putridarum aliarumque febrium excitari poſſunt.

Jàm verò ad reliqua ſymptomata in frigoribus febrilibus obſervalia quod ſpectat. 1°. Cùm partium calor ſenſuſque caloris à mutuo partium integrantium ſanguinis & fibrillarum ſanguiductuum attritu potiſſimùm pendeat, is autem attritus agitationi minimarum ſanguinis particularum, & ejus in partibus præſentis & appellentis quantitati tùm vi quâ appellit reſpondeat, patet in ſanguine à febrili materiâ inſpiſſato particulas remiſſiùs fore agitandas, eumque ſimùl (ut ex præfatis de naturâ pulsûs in frigore febrili conſequitur) minori quantitate ad partes apulſurum ac minore vi, undè inter ſanguinem & fibrillas ſolidas attritus remiſſior, ex quo ſubſequitur frigus aliuſque Fibrillarum nervearum motus vibratilis à nemine determinandus,

quem frigoris ſenſus conſequitur. Jàm verò cùm in corporis ambitu, ac in extremitatibus potiſſimùm, virium cordis truſilium effectus minores ſint, tùm partes externæ aëris ambientis impreſſioni magis expoſitæ ſint, eas ob cauſas in eis caloris cauſa magis fracta erit, undè frigus in eis majus quàm in interaneis, hinc & tùm pedes tùm manus tùm naſi extremum frigidiora erunt.

Alia autem præter aſſignatam frigoris febrilis, præſertim cum vehementius eſt, datur cauſa, nimirùm cum ex ſubitâ inſpiſſatione ſanguis in vaſis minimis quampluribus lenteſcat ſimulque in ſuis particulis debiliter agitetur, urgeatur intereà à corde propellente, is velut per filòs conſiſtentes in vaſculorum inflexiones innumeras motu directo impellitur, ſic ut indè ſuccutiantur fibrillæ nerveæ velut à corpuſculis frigoriferis & quidem vehementer, hinc excitato fluidi nervei fluxu impetuoſo & irregulari ſpaſmi in villis exiguis contractilibus & tunicarum capillarium ſanguiductuum & membranarum, quas ſanguifera perreptant, undè ſuccuſſiones tremulæ & irregulares quæ percipiuntur in corporis habi-

tudine, ubi quidem ſpiſſitudinis ſanguinis vitium majus eſſe jàm vidimus quarum perceptio ſimul cum ſenſatione frigoris conjuncta *Horrorem* conſtituit. Si verò cauſa hæc ultima frigoris propter ulteriorem ſanguinis inſpiſſationem major adhùc fuerit, fibrillarumque nervearum irregulares hæ ſuccuſſiones exindè vehementiores fiant, tunc fluidum nerveum in muſculorum textum ſatis impetuosè fluet & irregulariter, ut fibrarum carnearum manipuli imò muſculi plures inter ſe antagoniſtæ in contractiones trahantur inordinatas, undè motus ſpaſmodæi membrorum ac maxillæ inferioris, corporis totius concuſſio tremula & ſpontanea, quæ omnia non tantùm ab ægro verùm etiam ab abſtantibus percipientur, qui ſtatus unà cum frigore percepto *Rigorem* febrilem conſtituit. Poſtremò cùm in *Algore* febrili ob ſpiſſitudinem ſanguinis nimiam ſummamque ejus reſiſtentiam cor impellat eum debiliſſimè, is quidem ſufficienti vi in fibrillas vaſorum non impetet ut ſatis eas ſuccutiat ad excitandos motus ſpaſmodæos, undè partes frigus ſummum tantummodò occupabit, abſquè

ullâ earum concuſſione , nam frigoris cauſa prior ſuperiùs aſſignata valdè evecta exiſtit in tantâ ſanguinis ſpiſſitudine & lenteſcentia, dùm intereà cauſa poſterior abeſt ; quamobrem in algore febrili nullus horror , rigor nullus percipitur , nec frigoris ſenſus tàm acutus ab ægro percipitur, partes autem videntur atonæ ac multùm languent algidæ.

Cur autem ægri frigore febrili occupatos ſe interdùm ſentiunt , dùm ab abſtantibus calidiores quam in ſtatu naturali deprehenduntur ? Illud ſanè evenit , cùm à cauſâ poſteriori frigoris ſuperiùs aſſignata, afficiuntur , neutiquam à priori. Nimirùm cùm talis eſt materia febrilis ut particulis viſcoſis ſimul & acribus ſatis exſolutis conſtet, à prioribus namque ità inſpiſſatur ſanguis ut in vaſculis minimis lenteſcat & in eorum flexuras à corde urgeatur, undè frigoris ſenſus , ab acribus autem aliquantùm exſolutis commoventur valdè plures ejus partes integrantes, quæ in vaſculorum tunicas validè atteruntur , undè calor reipſà in partibus adauctus eſt , qui tamen ab ægro non percipitur , quòd ſenſatio frigoris

ſit vehementior, cujus caſûs alia non deficiunt exempla, ut cùm ab exeunte in fine micturitionis urina percipitur in corpore frigus ut cumque id caleſcat, ut cùm à ferro ſecante frigus interdùm percipitur & corpus horret. Ubi quidem animadvertemus calorem non ſemper eſſe in ratione circulationis ſanguinis hoc eſt ut celeritas circulationis ſanguinis, ut perperàm exiſtimat *Pitcarnius*, licet illud ſæpè verum ſit; ſiquidem cum minori celeritate cursûs ſanguinis ac velut ejus denteſcentiâ obſervamus calorem interdùm in partibus adaugeri, ut in gangrænæ calidæ ingreſſu, quæ *Eſtiomene* propterea ſeu ardens nuncupatur, ut in nonnullis carbunculis & ſimilibus caſibus, in quibus ſanguinis circulatione occidente in partibus affectis, æſtus tamen adeò in eis excitatur ut partes ardere calore ſicco & aduri & ab ægro & ab adſtantibus percipiantur; ſed *Calor omnis corporis humani ſemper eſt in ratione compoſitâ agitationis particularum ſanguinis inteſtina, celeritatis ſanguinis curſûs, quantitatis ejus in parte præſentis, ac ejus conſiſtentia.* Ex quo heoremate quamplura ſolvuntur pro-

blemata circà colorem & frigus in corpore humano, ſivè reales ſint eæ affectiones, ſivè ab ægris tantùm perceptæ; ut cur in febre catharrali caloris & frigoris ſucceſſiones reciprocæ ac breviſſimæ ab ægro deprehendantut ? Cur in febre lypiria algeant extremitates, interanea autem adurantur? Cur in Epialâ febre æger in partibus eiſdem calorem ſentiat & frigus ſeu rigorem ? Cur in febre ardente, cur in mania tantus obſervetur calor, &c.?

Porrò in frigore febrili ægri ſæpiùs vehementer ſitiunt; in eo namque cùm ob ſanguinis ſpiſſitudinem difficilemque per vaſa minima fluxum imminuantur ſecretiones, ac velut areſcant colatoria, ſaliva & quoque in ore deficiet, & pauca quæ præſens eſt erit viſcoſa, undè partes oris minùs humeſcent, lingua ſicca erit, fauceſque areſcent plurimùm, utpotè in quibus ſaliva naturaliter ſpiſſior eſt, hinc cauſa ſitis; cui accedit ſæpè altera, ardor nimirùm in faucibus abſumens humidum; ardor autem is in frigore febrili excitatur in faucibus, imò in pulmone (undè anima calida cum reſpirationis anxietate) quin & in ab-

dominis visceribus quotiescumque materia febrilis præter partes spissas, plurimas in se gerit acres ab aliis solutas facilè mobiles commotionem æstuosam in sanguine excitantes, quarum effectus caloris, potissimum in interaneis, sensibiles sunt, quòd cùm sanguis ob spissitudinem per corporis ambitum ejusque extremitates, illatâ nimirùm inibi majori resistentiâ, tantâ copiâ ut solebat non distribuatur, in vasis interaneorum, pulmonis potissimùm redundat, undè major in eis causa caloris; hinc fit ut ægri nonnulli in frigore febrili de ardore interaneorum conquærantur, dùm in corporis ambitu extremisque frigore se affectos pronuntiant, indè fit ut Medici nonnulli calorem in essentiâ febris reposuerint, affirmantes nullam adesse febrim sine calore adaucto, saltem inquiunt, *concentrato* hoc est præsente in interaneis; verùm hoc falsum est cùm dentur in quamplurimis frigora febrilia absque calore interaneorum sine ardore faucium ac sine siti. Ex dictis liquet halitus calidos & acres in frigore febrili è pulmonibus & ore interdùm exhalatos etiam ex-

ſiccare fauces, eas calefacere, ſitiſque cauſam intendere, interdùm neutiquàm.

Prætereà in frigore Febrili vultus palleſcit, tùm quod ſingulis contrationibus cor ſanguinis minorem ſolito copiam præſertim ad corporis habitudinem propellat, tùm quòd dimittat eam debiliùs, tùm quòd minùs rubeat inſpiſſatus ſanguis.

Cùm autem in frigore Febrili urina emittitur limpida & decolor, tunc ſanguis à materiâ Febrili inſpiſſatus eſt per modum coagulationis, ſerumque è ſanguine fuit expreſſum particulas lixiviales ſecum vix vehens utpote in ſanguinis ſpiſſo retentas.

Sopor autem qui in frigore febrili nonnunquàm obſervatur, is quidem inſpiſſato ſanguini per vaſcula encephali difficilè tranſeunti, congeſto, ac cerebrum aggravanti, tùm fluidi nervei craſſitici ac lentori imputandus.

Oſcitationes à ſanguine ſpiſſo ac lento vaſa pulmonum aliquantùm aggravante deducuntur, ex eâ enim in pulmone lenteſcentià fluidum nerveum obſtinatiùs ſed lentè ad muſculos inſpiratorios muſculumque platiſma-

myoidem determinatur, undè ſolito magis extenſa lenta protractaque inſpiratio cum maxillæ inferioris depreſſione tardigradâ ac protractâ oriſque proin magno hiatu, qui motus ſimultanei oſcitationem conſtituunt; ex quâ quidem cum magna aëris quantitas & pleno gurgite, apertâ ſcilicet ulteriùs glottide, irruens inflet pulmones ſanguis ad faciliùs per eos transfluendum excitatur, cum pulmonum levamine.

Similiter cùm ſanguis muſculos artuum alioſque difficile peragret, ab inſolitis eis vaſculorum diſtenſionibus ſenſus obſcurus moleſtiæ in illis producitur, qui nunc parit anxietates, nunc cùm ſcilicet ſanguis lentior eſt, pandiculationes ſeu contractiones muſculorum quibus artus extenduntur, quibuſque ſanguis à muſculorum horumce ſubſtantiâ potentiùs exprimitur cum levamine.

Cùm autem ſanguis difficilè ſatis ac ſubitò membranas muſculorum articulorumque ligamenta pervadit, nec lenteſcit tamem adeò, tunc dolores excitantur rheumatici, & circà articulos, ſatis acuti interdùm, præcipuè

in articulis, nunc obſcuri.

Poſtremò ex difficili ſanguinis progreſſu univerſali, adeòque per muſculos, ex parvâ nimirùm ejus copia ſingulis contractionibus cordis propulſi & cum minore vi, tùm ex fluidorum omnium ſecretorum proindè fluidi nervei ſpiſſitudine ac lentore, conſequuntur neceſſario virium debilitas in quovis frigore febrili, languor in omnibus functionibus, digeſtionum imbecillitas & ſimilia. Et hæc de frigore febrili ipſiuſque accidentibus dicta ſufficiant; reliquæ enim explicationes ex traditis ab unoquoque facilè erui poſſunt.

Jàm verò quoniam iteratis cordis, arteriarum, venarum, tùm villorum quorumlibet corporis ſive muſcularium ſive membraneorum contractionibus & ſuccuſſionibus quamvis debilibus, frequentibus tamen & correptis ſanguinis inſpiſſati moles ſuccutitur, ipſius partes tùm & febrilis materici moleculæ paulatim à nexu arcto ſolvuntur & ad concipiendum motum inteſtinum fiunt habiliores, quamobrem poſt tempus aliquod frigus remittere incipit, tùm verò explicatis tandem plu-

ribus particulis materiæ febrilis duris & activis & à portione viscidâ solutis excitatur calor febrilis seu *pyrexia* ; eæ nimirùm particulæ mobiles sui juris factæ ab actione sanguiferorum tantum suscipiùnt motum singulæ & à seipsis sejunctæ, ut secundum innumeras directiones in partes viscosas protinùs agant, undè sanguinis rarefactio ultrà terminos naturales, hinc calor accensus, vasorum dilatatio magna, pulsus magnus.

Verùm ex eâ sanguinis rarefactione intenduntur vires cordis arteriarum venarum & villorum corporis quorumcumque, quòd ab expanso magis sanguine magis distrahantur, undè vi majori in fluidum distrahens resiliunt perindè ac corpora omnia elastica cùm magis distrahuntur potentiùs restituuntur, modò ad elaterii fracturam distractio non sit evecta, quod in febre quamdiù viget nunquam contingit.

Est & alia ratio, cur etiam intendatur cordis & sanguiferorum actio, videlicet cùm sanguis ex illo motu intestino adaucto fluidior fiat quàm anteà, ac fluidi nervei secretio faciliùs peragatur ejusque in partes influxus fiat liberalior,

lior vis muſcularis cordis & villorum muſcularium arteriarum venarumque non eſt aggravata ampliùs ut in frigore febrili, ſed diſpoſitior & validior exiſtit, hinc cum cor tunc reſtituitur, contrahitur vehementiùs & ulteriùs longè quàm anteà, hinc ventriculi cordis plus ſanguinis in arterias evomunt & & magis impetuosè, undè pulſus plenus, arteriarum venarumque ampliatio magna ac tenſio. Cùm autem vires cordis in fine contractionis imminuantur, cùm præterèà ſanguis propulſus de ſuo motu tunicis vaſorum ſive directis ſive flexis communicarit tum & auriculis cordis priùs contractis ut amplientur, intereà cùm vires ſanguinis vaſa diſtrahentis evectæ ad ſummum viribus arteriarum venarum & auricularum renitentibus præcisè æquales ſint cùm ea omnia conceptacula in fine dilatationis perducta ſunt, ſequitur viribus ſanguinis dilatantibus ex communicatione motûs partiali imminutis vires contractiles arteriarum venarum & auricularum victrices futuras, hæ ergò omnes ſimul & iſochronè reſtituentur & quidem magnâ vi elaſticâ imò & muſculari in locis aliquibus, ut de corde dictum fuit:

Undè ſanguis impetuosè & ubertim in cordis ventriculos contractos impelletur eorumque parietes diducet, tùm eos valdè replebit; hi ergò plurimùm dilatati tenſique iterùm vehementer contrahentur, ſanguinique ab eis extruſo ac reliquo antecedenti propulſo ſanguiſera omnia cedent, quòd reſtituta in contractione violentâ tunc non ſubſiſtant, & ſic porrò deinceps.

Jàm ergò vires cordis & reliqui ſyſtematis ſanguiferi adauctæ ſunt, imò magis deinceps increſcunt, quòd ſanguis ità vehementer propulſus ac preſſus magis magiſque agitetur in ſuis particulis, magis rareſcat, magiſque ac magis conceptacula diſtendat in quibus coercetur, & ad vehementiorem reſtitutionem concitet; fit ex his omnibus ut ſanguis incaleſcat admodùm tantamque ſuſcipiat commotionem inteſtinam, ut materiæ febrilis particulæ viſcoſæ magis ac magis ſolvantur, actuoſæ quamplurimæ à viſcidarum ſinu & connubio liberentur, undè tandem gradus ſummus pyrexiæ.

Intereà ſanguis ità rarefactus per vaſa minima plura difficilè fluit, ni-

mirùm per obſtructa priùs in frigore febrili materià viſcosâ & tenaci in quam pluribus ſatis nondùm ſolutâ vix meare poteſt licet vehementer impellatur; inſuper in tali ſtatu viſcoſitatis & rareſcentiæ ſanguinis cùm ſecretiones difficilè & parciùs peragantur materia ſecretionum in ſanguiferis remanet, undè augmentum molis fluidi in eorum cavo eorumque ulterior tenſio, quas ob cauſas ſanguis unà cum magnâ agitatione particularum inteſtinâ impetuosè & abundantiùs per vaſa eà minima, quæ libera magis ſunt propellitur & cum eorum tunicarum magnâ dilatatione tenſione ac labore cauſiſque caloris omnibus anteà recenſitis ſummoperè adauctis; quæ omnia ponunt cauſam febris continentem prout in capite primo expoſuimus. Undè in pyrexia febris putridæ pulſus erit magnus, frequens, identidem aliquantùm inæqualis, cum inſigni calore æſtuoſo.

Ubi obiter animadvertemus in pyrexiâ, in quâ vires cordis & arteriarum ſunt evectæ, pulſum tamen interdùm non frequentem adeò ac celerem citatumque obſervari ac in fri-

gore febrili, in quo vires hæ profectò debiliores sunt; quòd nimirùm plus insumatur temporis ad peragendas dilatationes magnas & protensas, quàm ad breves ut ut debiles, ità ut in frigore febrili cor veluti ocyssimè palpitet seu motu tremulo citato quatiatur,

Cùm autem febris putrida absque frigore febrili sensibili ingruit (quod rarò evenit) initio autem tantùm deprimitur pulsus cum aliquâ anxietate, deindèque protinùs febris excandescit; eo casu præter moleculas viscosas, quæ acres & activas in sinu suo gerunt, quamplurimæ sunt in materiâ febrili hujus secundæ speciei viscosis vix cohætentes, quæ in rarefactionem & excandescentiam sanguinem ducunt protinùs etsi à viscosis inspissatum, dùm reliquæ particulæ duræ & activæ in viscido cohætentes exsolvuntur gradatim, æstumque febrilem deinceps protrahunt, quousque attenuato penitùs viscido aut eliminato, ipsæmet activæ suppeditari desinant, ac suppeditatæ per excretiones fuerint eliminatæ.

Febres putridæ inflammationes procreare solent, quòd ob tenacitatem

materiæ febrilis arteriolæ plures ac præſertim in viſceribus (ubi ſanè debiliores ſunt ſanguinemque abundantiùs ſuſcipiunt) tùm in frigore febrili tùm in pyrexia graviter obſtipentur, dùm reliquæ, cùm excandeſcit ſanguis, ſpiſſo ſanguine vehementer rarefacto ac impetuosè trajecto turgent, quarè laborant adeò earum tunicæ ut ex nonnullis arteriolis ſanguis in venas penitùs exprimi non poſſit, undè in eis ingens ſanguinis & tunicarum valdè tenſarum attritus, ſicuti & in arteriolis jàm à tempore frigoris febrilis obſtipatis; quòd etiam ſanguis rarefactus & impetuoſus tempore pyrexiæ in eas vehementer propellatur, earumque tunicas plurimùm tendat & ad violentas reſtitutiones licet non abſolutas determinet; at in arteriolis liberis ex abundante rarefacto ac impetuosè trajecto ſanguine ingens oritur inter eum & tunicas attritus; ergò in arteriis illis omnibus & liberis & non liberis plenitudo nimia enaſcitur cum ingenti attritu & calore, qui partis ſtatus violentus eſt inflammatio. Ex his explicabitur facilè quamobrem in exacerbationibus putridarum inflamma-

tiones jàm ſactæ ingraveſcant, aut novæ excitentur.

Febrium putridarum ſymptomata quod ſpectat, plura ſanè excandeſcentiæ febrilis progenies ſunt, ut capitis dolor, aliqua ſpiritum ducendi difficultas, anima calida, faciei & nonnumquàm oculorum rubor, artériarum temporalium pulſio percepta, ſomnolentia, agrypnia, corporis ſegnities ac muſculorum debilitas, laſſitudinis ſenſus, & ſimilia, quorum explicatio in capite de ſynocho imputri tradita eſt, febrilique ſanguinis rarefactioni debetur.

Reliqua verò, quæ febribus putridis propria ſunt, ut cardialgiæ, ructus nauſeæ, vomitus, colici dolores, borborigmi, inflatio ventris ſeu meteoriſmus ſymptoma putridæ febri adeò familiare, diarrheæ bilioſæ & ſimilia, quæ ad primas vias ſpectant, ea ſanè materiæ febrilis ſeu pravorum ſuccorum in eis abundantium, ſive in ventriculo & inteſtinorum cavo ſive in eorum organorum ductibus ſecretoriis ſive in his omnibus præſentium effectus ſunt ſive hi pravi ſucci magis aut minus ſpiſſi ſint, magis aut minus

acres, & corrupti diversimodè & in variis gradibus & combinationibus. Quorum etiam symptomatum excitationi vel saltem ingravescentiæ conducit quoque difficilis sanguinis per ventriculi & intestinorum tunicas transitus sive is spectetur in frigore febrili sive in æstu excitatus, indè enim tenditur tunica eorum nervea fitque magis sensibilis, unde causâ cardialgiæ aut colici doloris ulterior; vel si tunica eorum carnea ex eâ vasculorum à sanguine ingurgitatione patiatur notabiliter, proindèque motum pressionis in contenta in ipsorum cavo edere satis nequeat, aër ex materierum viscidarum putrescentium ac rarescentium sinu erumpens ac expansus defectu pressionis sufficientis ventriculum & intestina potissimùm dilatat, undè infimi ventris meteorismus; vel si tunica utraque & nervea & muscularis sanguine difficilè transeunte multùm ingurgitentur, excitantur inflammationes ventriculi, intestinorum, earumque effectus.

Crusta autem mollis hæc sive albicans sive fusca, quâ in febribus putridis lingua obduci solet sedimentum est salivæ aut ex vitio sanguinis inquinatæ

aut in ductibus excretoriis salivalibus ex mora ob viscositatem corruptæ, aut ab halitibus è materiis in ventriculo corruptis per æsophagum ad os elevatis vitiatæ. Ex his autem salivæ inquinamentis oriuntur oris fœtores sapores amari, acescentes, glutinosi, aliive ingrati quos ægri percipiunt & adstantibus declarant.

Postremò in febre putridâ, ut & in febre quâcumque emaciatur corpus, non solùm quia æstu febrili & acrimoniâ generali eliquatur pinguedo, consumiturque in sanguine cùm ei remixta est, neque sufficiens ejùs nova materia in eo producitur; verùm etiam quòd cùm in febribus secretiones in genere difficilè fiant lymphæque portio insignis retineatur in sanguiductibus, lympha sufficiens haud suppeditetur nevrolymphaticis, quare vascula hæc nutritia concidunt semi-inanita nec propterea sufficienti applicatione nutritiâ reparantur; neque aliundè lympha, quibus alluuntur, satis defæcata est & mucilaginosa ad reparationem nutritiam, quin potiùs acris est & particulis crassioribus indigestis hoc est insufficienter extensis fœta agglutinationi

nutritiæ non habilibus. His omnibus adde febrili æſtu & acrimoniâ plurimùm corpus perſpirare ; ut omittam diætam, ſanguinis miſſiones, & evacuationes inſignes à catharticis in febrium medicatione procuratas, ex quibus ſanè inaniuntur plurimùm vaſa quæque, undè etiam corpus attenuatur.

Cauſæ remotæ febris putridæ eæ ſunt, quæ materiam febrilem deſcriptam producunt, ſive generatio ejus inceperit in ſanguine, ſive in primis viis. Eæ cauſæ ſunt imprimis lactis in uberibus ſuppreſſio, hujus ibi per moram & inſpiſſationem corruptio, indèque remixtio per lymphatica in ſanguinem, lochiorum, perſpirationis, urinæ, puris abundanter manantis ſuppreſſio ſubita ; & hæ cauſæ per corruptionem aut putreſcentiam materiam febrilem primariò in ſanguine progenerant, hinc inficiuntur ſucci digeſtivi, depravantur deindè digeſtiones, pravorumque ſuccorum in primis viis fit apparatus.

Eæ cauſæ etiam, ſed profectò reliquis frequentiores, ſunt quæ vitiant digeſtiones, ut cibi copioſiùs ingeſti ac præſertim per tempus protractum, cibi diſſicilis digeſtionis, cibi pravis

qualitatibus præditi, qui potissimùm faciliùs acescunt, aut bilescunt; potulenta spirituosa habitualiter epota quæ tandem actionem ventriculi enervant, & è contrà nimis insipida & viscosa quæ digestiones etiam temporis successu debilitant, ut refrigerantia potissimùm aut inactiva, quæ morâ in ventriculo etiam acescunt veluti emulsiones frequentiùs haustæ & similia. Item animi pathemata, ira præsertim & tristitia, & reliquæ res non naturales, quatenùs remotè digestiones vitiant & ad eum præcisè statum, ut materia prædicta febrilis in primis viis producatur, sanguinique per vias chyli affundatur, quam ultimam conditionem consultò addimus ut absolutè requisitam; hi enim pravi succi, qui febrem excitassent, interdùm vomitu, interdùm per secessum excitatâ nimirùm diarrhæâ in certis circumstantiis ità eliminantur, ut sanguini minimè aut vix suppeditentur, undè nulla ejus aut saltem insufficiens inquinatio, nequè adeò febris ulla putrida, ad quam excitandam insignis requiritur semper sanguinis inquinatio. Et ab his causis febrilis materia in primis viis primariò producta fuit,

hinc in ſanguinem migrat. Sed in quocumque caſu febrilis materia in primis viis hoſpitari debet, quò excitetur febris putrida, illud demonſtrante obſervatione conſtanti, hinc ejus fomes in primis viis ſemper agnoſcitur, hinc ab eà materiâ corrumpuntur ingeſta quæquæ, undè febris hujus gravitas & obſtinatio.

Febris putridæ ſignum pathognomonicum eſt febris continuitas unà cùm ſignis aparatûs notabilis pravorum ſuccorum in primis viis; quæ ſigna ſunt potiſſimùm cardialgia, morſus ventriculi, nauſea, vomitus, ructus, oris fœtor, cruſta alba aut fuſca linguæ dorſum tegens, dolores colici, alvi fluxus fœtidus aut bilioſus, ventris meteoriſmus & ſimilia, non quod tamen omnia hæc præſentia eſſe debeant, ſed ex his nonnulla.

At cum ſigna prædicta in febribus malignis perindè obſerventur, ut plurimùm, hinc ſit ut plures Practici putridas febres nonnullas perperàm vocent malignas, potiſſimùm cùm ſymptomata obſervantur graviſſima ac velut deleteria, eas tamen ità habitas nihilo-ſeciùs curant methodice,

quod ægro perindè est. Verumtamen ut ut malignæ febres à pravorum succorum in primis viis apparatu produci soleant, peculiaris tamen eis inest genius, quo à febribus putridis distinguantur, prout infrà docebitur.

Jàm verò an febrilis materia in primis viis, an in sanguine ipso primogenita fuerit, cognoscitur per signa suppressionum prædictarum prægressis ut plurimùm morbis quæ eas indicant, aut per signorum eorum absentiam, simulque per notitiam causarum recensitarum quæ immediatè & absque præcedente sanguinis vitio digestiones lædunt. De cætero febris putridæ in hujus capitis limine allata descriptio febrem eam satis manifestat, ut in illius diagnosi afferendâ hærere ulteriùs necessum non sit.

Febris putrida periculosa semper est, in eâ namque sanguis per vasa minima difficilè fluit tùm ob tenacitatem obstinatam materiæ febrilis, tùm propter rarescentias magnas cum spissitudine sanguinis à materiâ febrili enatas, ex quibus fit ut partium internarum inflammationes sæpenumero excitentur cum summo vitæ discrimine, imò in-

ter-

terdùm absolutè irresolubiles, undè aut cessatio circulationis sanguinis & cita mors, aut suppurationes viscerum, quæ deinceps ægros lentè ducunt ad exitum. Ità videmus in eâ febre laborantibus interdùm inflammari cerebrum & meninges, quod declarant aut deliria aut soporosi affectus graves; plevram interdùm, quod declarat dolor lateris punctorius cum tussi & respirandi difficultate; interdùm pulmones, quod declarant signa peripneumoniæ. In quibus quidem casibus incauti sæpè falluntur pleuritidem aut peripneumoniam adesse putantes, proindèque missioni sanguinis nimiùm insistentes post habitâ purgatione quâ tamen potissimùm sanantur pleuritides ejusmodi ac peripneumoniæ, quæ nihil aliud sunt quàm symptomata febris putridæ; quare tunc intentio curativa ad debellandam febrem putridam dirigi semper debet, non neglectâ tamen inflammatione, indicationi enim symptomaticæ est quoque satisfaciendum. Observamus etiam sæpiùs in febribus putridis inflammari abdominis viscera sed intestina potissimùm, quod manifestat abdominis meteorismus cum ten-

ſione ejus magnâ æſtu & dolore, in-
ſimul extremorum frigore, faciei pal-
lore, & pulsûs depreſſione ac inæ-
qualitate, quòd nimirùm ſanguis ex
tali infarctu arteriolarum mezeraica-
rum inflammatorio paucâ copiâ & inæ-
quali greſſu in venam portam reduca-
tur, & ità ad cor appellat, quod conſ-
tituit febrem Lypiriam febris putridæ
ſæpè ſymptoma. Quin imò quamplura
obſervamus partium externarum ac fa-
ciei imprimis eryſipelata, quæ febrium
putridarum effectus ſeu ſymptomata
tantùm exiſtunt; adeò febres putridæ
inflammationes procreant, & exin-
dè exitiales ſunt, aut ſaltem periculo
plenæ.

Febres putridæ interdùm per criſes
judicantur, quare ſigna criſium prog-
noſtica afferenda forent. At cùm noſ-
tris temporibus criſes rariùs contigant,
quod non ſpectemus naturæ in eo opere
ſemper impotentis molimen veluti ſpe-
culatores timidi & otioſi, prout me-
dici antiqui perperàm ſe gerere con-
ſueverant; arte autem ſemper & ſingu-
lis diebus à morbi initio morbum im-
pugnemus, ideò doctrina criſium &
dierum criticorum, tùm ſignorum,

quibus hæ prænoſcantur, & dierum decretoriorum, hodiè dierum obſolevit, ſaltem ut ab antiquis pertractabatur. In capite tamen ſequenti de febre malignâ de criſibus aliquid dicetur, ſed prout ex noſtrâ medendi methodo apud ægros obſervamus.

In curandâ febre putridâ auxilia potentiora ſunt diæta, miſſio ſanguinis, & purgatio. Diæta erit tenuis, ægrique juſculis erunt nutriendi, quæ unâquaque quartâ horâ ſumentur; juſcula in eâ regione parari ſolent ex carne ovillâ; potus erit aut aqua naturalis, aut ptiſana aliqua diluens ut capillorum veneris; vel refrigerans, ſi æſtus ferociat, ut è ſeminibus quatuor frigidis majoribus parata, aut ptiſana aliqua diluens cui ſirupus aliquis acetoſus ut limoniorum ut granatorum fuerit ad gratam aciditatem commixtus; ægerque tunc multùm potabitur. Cùm autem acrimonia viguerit, potus exhibebitur edulcorans, ut eſt decoctum leve oryzæ, & potiſſimùm aqua pulli gallinacei junioris; at ſi ſanguis ſpiceſcat ac velut lentore præditus ſit, potus erit leviter incidens, ut eſt ptiſana ſcorzoneræ,

graminis, decoctum cornu cervi.

Verùm in hujus morbi principio ſtatim ac pyrexia declarata eſt ſanguis mittendus incunctanter ; ſanguiniſque miſſiones ſive è brachio ſive è pede iterandæ, & quidem magis aut minùs juxta gradum æſtûs febrilis & diſpoſitiones ad inflammationes potiſſimùm viſcerum , ſemper attendendo ægri viribus , ætati , ſexui , temperamento, aliiſve circumſtantiis quæ ſanguinis miſſionem coindicant aut contraindicant.

At ſecundo vel tertio ad majus morbi die (niſi aliquid obſtet) præcribimus purgantia nimirùm ad materiei febrilis eliminandam portionem , nec expectamus materiei febrilis coctionem hoc eſt attenuationem ad purgandum. Qui enim ità expectant & viribus vanis naturæ confidunt , ægros per inflammationes viſcerum , etiam invitis venæ ſectionibus obortas miſerè de medio tolli experiuntur. Undè non movemur in eâ therapeïâ putridarum Hippocratis auctoritate , cùm ait *Concocta medicari oportet non cruda , niſi materies turgeat , raro autem turget* , cùm quotidiana obſervatio moneat nos ma-

teriam feré ſemper turgere etiam ab initio in febribus putridis, prætereà ex noſtrâ praxi confirmatâ, in quâ ità purgamus cruda, ægros longè plures ſanari. Quare præmiſſa venæ ſectione (ut plurimùm ſemel aut bis repetita) purgamus ægrum aut potione emeticà, aut emetico-catharticâ, aut ſimpliciter catharticâ prout caſus tulerit, horam eligendo (quantùm fieri poteſt) in quà febris remiſerit. Et licet ex primis evacuationibus alvinis aut per vomitum non curemus ægrum, imò febris augeatur perſæpè (morbus enim invitâ arte ſua percurrere debet tempora) indèque ignari, qui non judicant niſi per ſucceſſus præſentes, conclament adversùs medicos, nihiloſeciùs ità agendum eſt, eâ enim medicatione materiæ morbificæ portio eliminatur, morbuſque deinceps arte faciliùs domatur; qui autem ſecùs ſe geſſerit profectò infelix erit in praxi putridarum, cumque cunctationis ſuæ pœnitebit, cùm eòuſque morbum videbit deductum, ut inflammationes inſuperabiles occupent viſcera, aut cùm curatâ febre putridâ illico lenta ſuccedet, aut abſceſſus progeniti depre-

tendentur aut in articulis aut in glandulis lymphaticis conglobatis habitùs corporis aut in carnibus muſculoſis, quod peſſimum erit, in aliquo viſcere.

Cùm autem febris hæc ferociat adhùc per plures dies, ideò pro re natâ iteratur ſanguinis miſſio, præcipuè in exacerbationum pyrexia. Intereà alternis diebus in morbi decurſu exhibetur catharticum uſque ad febris evidentem declinationem, quæ die decimo aut undecimo incipere conſuevit, niſi protrahatur febris in ſuo vigore ultrà diem decimum quartum, quod aliquandò contingit. Catharticum magis uſuale in eâ febre ac efficacius eſt ſenna, quæ præterquam quòd ſuccos pravos hujuſce febris ſomites potenter purgat, vermibus quoquè & materiei verminoſæ, quæ in eâ febre pluries occurunt, eſt hoſtis infenſiſſimus. Sennæ ſociari ſolet manna, ut & ſemen contra abſinthiumque minus cùm adeſt materia verminoſa aut alia quævis aceſcens Adduntur autem tamarindi cùm bileſcit materia morbifica & amaroris indicia præbet, cùmque febrilis æſtus magnus eſt. Additur prætereà tartarum ſtibia-

tum fractâ dosi ut ad tria quatuorve grana, cùm catharsis potentior expetitur cùmque viscidæ magis sunt materiæ expurgandæ ac tenaces. Purgamus in eâ febre semper sub potionis formà; sæpiusque plurimùm prodest purgare duplici potionis dosi, ne æger adeò vi purgantis incalescat, unàque ut abundanter purgetur. Diebus verò à purgatione vacuis subducitur alvus enematis emollientibus laxativis, & pro re natâ purgativis.


Porrò ad mittendum sanguinem ratione potissimùm partis affectæ aut proximè afficiendæ, venæ variæ eliguntur secundæ. Ità dùm caput laborat non tantùm brachiorum venæ sed & pedum secantur, imò interdùm jugulares at præmissis semper aliquot ex aliis venis sanguinis missionibus. Cùm laborant fauces aut pectus venæ brachiorum secari consuevere, sed & sanguis mittitur è pede cùm lateris dolet acutè pars superna, aut afficiuntur inflammatoriè fauces. At cùm abdominis laborant viscera ut in ejus meteorismo aliisve casibus secantur brachiorum venæ, non verò pedum; & sic porrò, prout *in Tractatu de Tumoribus capite*

de Phlegmone fusiùs declaravimus.

Dùm autem ità succurritur æger potenter per auxilia prædicta, quæ *universalia* vulgò nuncupari solent, ei opitulamur insimul aliis auxiliis quoquè necessariis. Nimirùm si urgeat febrilis æstus (quod horis vespertinis potissimùm contingere solet nimirùm in exacerbatione) præscribuntut emulsiones aut crudæ, quæ magis refrigerant, aut coctæ, quæ minùs crudis corrumpuntur minùsque accescunt in ventriculo, additurque eis hypnoticum ut sirupus papaveris albi quin & laudanum sive liquidum sive opiatum si somnus conciliandus, aut sirupus de nymphea si tantùm sedatio quædam expetatur, aut sirupus limoniorum vel granatorum si refrigerandum potentius & materies amaricantes in ventriculo præsentes sint. Ità quoque julepi refrigerantes; aut hypnotici, vel refrigerantes simul & hypnotici præscribuntur. Emulsionibusque anteponuntur julepi cùm pravi succi abundant in stomacho, timeturque emulsionum in eo corruptela. Ubi quidem notabimus nos uti frequenter in eâ regione hypnoticis in febre putrida & quidem cum magno ægrorum

emolumento, ii enim per ſomnum refecti non tantùm morbi vim & moleſtiam faciliùs ferunt, ſed etiam ferendis deindè per diem evacuationibus alvinis neceſſariis pares magis fiunt, vel à paſſis ſublevantur quiete ac reſtaurantur vires, quæ noctu per vigiliam magis etiam labeſcerent.

Præſcribuntur inſuper julepi cardiaci, Diaphoretici, ſudorifici, potioneſve ſimilis energiæ aut cùm deprimitur pulſus ſitve valdè inæqualis, cùmque dejiciuntur vires, aut cùm in morbi declinatione diſpoſitio deprehenditur ad Diaphoreſim vel ſudores.



CAPUT SEXTUM.

De Febre Maligna.

FEbris Maligna nuncupatur ea Febris continua acuta, quæ graviora infert ſymptomata, quàm natura Febris exigere videtur; in quâ quidem pulſus aut non multùm abſcedit quoad frequentiam & magnitudinem à ſtatu naturali, aut parvus eſt, obſcurus, fre-

quens, correptus, inæqualis, calor autem aut non multò naturali intensior est, aut acer existit tametsi non intensus; intereà graviora & inassueta observantur symptomata, ut summa virium dejectio, anxietates molestissimæ, lypothimiæ, imò interdùm syncopes, comata, obscura deliria, spasmi tendinum, stridor dentium, manuum tremor, vigiliæ immodicæ, linguæ imò dentium & labiorum nigredo, linguæ siccitas & asperitas, oris siccitas summa sine siti, oris fœtor, singultus, viscerum gravis dolor, ventriculi gravis ardor aut morsus, cardialgia cum somnolentiâ, abdominis meteorismi, exanthematum purpureorum, lividorum, nigrorum, imò anthracum bubonum, parotidum eruptiones, mictus cruentus, rigores summi, algores, vomitus biliosi, æruginosi, porracei, atri, diarrheæ similes, nullus interdùm sensus morbi in ægro, acutus capitis dolor, vel nullus ab ægro perceptus licet causa ejus adsit, oculorum immutatio magna, & symptomata similia, plura aut pauciora, & varia in diversis eâ Febre laborantibus.

Quæ cùm ità sint, obvium est in

eâ Febre primas vias pravis sanè succis & indolis perditæ infestari, simulque sanguinem admodùm inquinatum esse & in suâ crasi subversum, ità ut sub illis respectibus Febris maligna ad putridas referri possit, imò à nonnullis eas ob causas plures Febres putridæ, cùm nimirùm gravibus ac metuendis stipantur symptomatibus, insigniantur nomine malignarum. Si rem tamen penitiùs spectemus, Febres malignas peculiare genium sibi arrogare deprehendemus, cùm gravitas symptomatum in eis vigorem Febris exuperet, secùs in putridis; cùm insuper malignæ Febres quamplurimæ in initiis clandestinè ac veluti furtim & subdolè incedant, nimirùm sine morbi gravis apparentiâ, tùm deinceps veluti subitò mutentur & morbi exitialis speciem induant; undè cùm larvatæ sint sub specie morbi non adeò metuendi, nomine ducto à moralibus, *malignæ* propterea dictæ sunt; cùm tandem malignæ Febres mitescere in suo curriculo interdùm videantur & incautis imponant, recrudescant posteà multò infestiores ægrumque perimentes imò interdùm brevissimo tempore, undè quoque

mali moris ſeu *malignæ* dictæ ſunt.

Ex his omnibus ſtatuemus Febrium malignarum materiam febrilem multùm ſed inæqualiter ſpiſſam, particulas diverſi generis nimirùm alias aceſcentes, alias acres, alias acerrimas, ac velut venenatas in ſinu ſuo gerentem, nunc altiùs nunc minùs reconditas, hoc eſt nunc magis nunc minùs viſcido cohærentes & inæqualiter. Et ſanè diſcrepantiam illam particularum in eâdem materiâ febrili qualitatibus diverſis ac velut pugnantibus præditarum non negabunt illi, qui ægros adire conſueverunt, quos non latet ægros viſcoſas & bileſcentes materias rejicere interdùm vomitu, quas dicunt unà & acidas & amaras; adeò irregulariter per pravas digeſtiones aut ſanguinis corruptelas ac depravationes producuntur morboſæ particulæ ſimul in viſcido cohærentes, quod phiſices ſpeculationes ſanè ſuperat, cùm præſertim ab eiſdem, quæ videntur, cauſis tantæ varietates in effectibus morboſis appareant, ità ut cauſæ eædem procatarcticæ nunc Febrem putridam, nunc malignam, nunc intermittentem excitent, ſed equidem in ſubjectis diverſimodè ſed modo

modo ſatis incognito diſpoſitis ; undè illud *tortheion* in morbis ab *Hippocrate* pronuntiatum. Quare nullæ regulæ certæ productionum taliſmodi prædicendarum afferri poſſunt , nec quomodò eæ fiant ulli Phyſico notum eſt. Et ſanè ſymptomata Febrium malignarum ſeu effectus ejus materiæ morbificæ , anomala adeò graviaque ſimul videntur , ut nonnulla eorum vi cuipiam inſpiſſanti alia vi diſſolventi deberi videantur ; indè factum eſt ut Medici plures Febres malignas in eas , quæ *à coagulatione* ſeu inſpiſſatione , & alias , quæ *à diſſolutione* fierent , diſtinxerint. Verùm cùm in eodem ſubjecto Febre malignâ laborante obſerventur ſæpè ſymptomata , quæ à diverſis illis viribus profluunt , ideò in Febribus malignis non ejuſdem indolis agnoſcenda materia febrilis , quæ aut inſpiſſet tantum aut ſolvat , ſed indoles utraque in eâdem materiâ febrili agnoſcenda juxtà partium heterogenearum miſcelam , ità tamen ut nunc particulæ inſpiſſantes , nunc particulæ ſolventes in certis Febribus malignis prædominari videantur. Quæ ſanè Medicinæ Magiſtris non adeò mirabilia vi-

debuntur, cùm eos non lateat idem etiam in medicaminibus plurimis ſimplicibus occurrere, quæ & particulas mucilaginoſas & inertes ſimulque duras & activas in ſe gerunt, ità ut in eorum nonnullis priores in aliis poſteriores prædominari per effectus videantur.

In omni autem Febre malignâ notandum vires admodùm reſolvi, actionem cordis & arteriarum parùm intendi, imò pluries naturali debiliorem eſſe, aut exerceri inæqualiter. Hæc demonſtant pulſus parùm febrilis, pulſus parvus, pulſus inæqualis, animi deliquia, rigores magni imò algores, calor naturalem vix ſuperans, imò naturali interdum minor, aut acer cùm naturalem ſuperat. Quæ omnia ſignificant ſanguinem à materia febrili plurimum inſpiſſatum ac parùm rareſcentem; ſanguinem parùm fluxilem ſimulque particulis acrioribus ſæpè fœtum textum particularum nonnullarum ſanguinis mucilaginoſarum & rubrarum plurimùm interea ſolventibus; ſanguinem conſtantem globulis aliis nimiùm coacervatis & purpurâ aliquantum exutis, aliis nimis ſolutis ſed tamen im-

perfectis, corruptis, parùm vegetis, ac eis pluribus velut sideratis.

Ex quibus omnibus sanguis ad facile fluendum per vasa minima minùs habilis sit, nec vehementer à corde & arteriis intereà urgetur, undè in vasis minimis sanguineis pluribus multùm lentescit unà cum acrimoniâ, à quâ per moram velut corrumpitur (labe ulteriùs toti sanguini communicatâ) undè inflammationes viscerum erysipelatosæ, sæpè etiam gangrænodeæ, ariditates colatoriorum ex defectu secretionis fluidi, antraces, maculæ purpureæ aut lividæ, parotides ac bubones mali moris, nimirùm cum duritie, ustionis sensu, lividitate, dispositione gangrænodeâ, simulque pulsu debili, obscuro, depresso, & anxietate universali obscurâ; sed præprimis erysipelatosâ cerebri affectio frequens adeò in Febre malignâ sed segnis, ex quâ in diverso gradu explicantur sopor, delirium obscurum, motus spasmodæi, tremores tendinum, dentium stridor, mentis alienatio, insensibilitas animæ circà morbum quamquàm gravissimum, & alia symptomata, quæ denotant ut plurimùm mente captos esse Fe-

bre malignâ laborantes. Insimul ex prædictâ cerebri affectione in eâ Febri ut plurimùm excitatâ elicitur, cur vires cordis, arteriarum, musculorum, omniumque vasorum fibrarumque corporis parùm vegetæ sint, vel depravatè hoc est inæqualiter exerceantur, nimirùm propter memoratum cerebri infarctum nervorum fluido parciùs secreto, indèque insufficienter vel etiam inæqualiter & anomalè partibus subministrato; ad quarum etiam virium prolapsum ac irregularitates confert etiam sanguis per vasa minima difficilè, ut vidimus, ac interdùm irregulariter means: & ex his deducuntur quamplura alia symptomata consectaria. Uno verbo ex jam statutâ febrilis materiei indole, dyscrasi sanguinis assignatâ, trajectu ejus difficili per vasa minima cum impulsione intereà parùm violentâ, statu cerebri phlogodæo jam jam determinato, viribus solutis solidorum vel inæqualiter exercitis, materiei febrilis in primis viis vel in colatorio ventriculi & intestinorum præsentiâ notabili aut actione, omnia facilè explicantur Febrium malignarum symptomata, quibus non ulteriùs inhærebimus cùm

ex iis, quæ in capitibus de synocho simplici ac de putri præcipuè allata fuere haud difficile erui fusiùs possint. Uti neque sermonem iterùm instituemus circà exacerbationes quæ in Febre bre malignâ perindè ac in synocho putri excitari solent, servato tamen in eis Febris genio ob causas assignatas semper easdem præsentes.

Causæ remotæ fermè eædem sunt ac putridarum, verùm inter eas procatharticæ, Febres malignas potissimùm excitant, cùm corpus curis, mœrore, tristitia anteà velut est confectum ac debilitatum, aut laboribus nimiis vel evacuationibus immodicis resolutum, aut æstatis calore solutum, cùm corpus alimentis pravi succi diù fuit nutritum hoc est cùm à causis antecedentibus sanguinis partes mucilaginosæ spissiores evaserunt, aut earum tenuiores avolarunt, partes autem acres omnis generis productæ fuerunt abundanter, ac plurimùm fractum fuit solidorum elater cum eorum tamen ariditate, indidem digestiones ex immutatis succis digestivis à dyscrasi sanguinis assignatâ admodùm fuerunt depravatæ, ità ut ex his omnibus explicetur excitatio mate-

riei febrilis, quæ producit Febres malignas.

Febris maligna ex præfatis ſatis cognoſcitur, & diſtinguitur à Febre putridâ. Illud tamen præſertim ad Therapeiam diſtinguere intereſt, an potiſſimum vigeat inſpiſſatio fluidorum in Febre malignâ ac prævaleat, an eorum acrimonia; qui ſane ſtatus fluidorum declarantur per ſymptomata, nimirùm ſi rigores febriles vehementes ſint nec deinceps ſuccedat calor acer ſed velut in ſtatu naturali, ſi ſopor adſit, aut delirium valdè obſcurum cum ſomnolentiâ, ſi parotides aut bubones indurati abſque tamen uſtionis ſenſu, ſi pulſus parùm frequens ſed inæqualis, ſi lipothymia, ſi lingua non retorrida nec calor in ore & ſimilia adfuerint, ſi urinæ ſanis ſimiles extiterint, aut quales Jumentorum, ſtatus inſpiſſationis potiſſimum declaratur. At acrimonia fluidorum patefit prædominans per rigores febriles minores, calorem acrem pulſumque frequentem correptum nec tamen magnum, delirium cum vigilia, maculas purpureas, lividas, anthraces, bubones aut parotides cum

ſenſu exarſionis, mictum ſanguineum, linguam admodùm ſiccam, rubram, faucium ardorem, ſitim intenſam, & ſimilia, plura aut pauciora.

Malignæ Febres periculo plenæ ſunt, imminent namque in eis inflammationes in viſceribus & præſertim in cerebro peſſimi moris nimirùm gangrenodeæ, pluresque eis affecti eo modo enecantur. Intereà tamen utcumquè Febre malignâ laborantes videantur deſperati, morbuſque reſiſtat remediis, ii tamen nunquàm relinquendi ſunt, cùm eorum quamplures, de quibus conclamatum videbatur, continuata medicatione ſalvi evaſerint, infarctus namque viſcerum inflammatorius in Febribus malignis ſegnis eſſe ſolet, undè ſemper iis ægris opitulandum per artem uſque ad extremum finem ſine abſolutâ deſperatione. E contrà autem nonnulli Febre malignâ laborantes interdùm qui fermè ſine periculo videntur, dein enecantur, adeò morbus is eſt mali moris, & ludit Artis Magiſtros. Quapropter Medicus in prognoſi circà Febres malignas afferendâ ſemper cautus ſit, prognoſimque ſemper dubiam ſed pericu-

losam instituat. Verùm ratione materiæ febrilis cæteris paribus periculosiores esse solent Febres malignæ, in quibus particulæ acres illæ ac velut venenatæ prædominantur, iis in quibus spissitudo potissimùm causa est, præbent namque contraindicationes, quibus difficilè satisfit, cùm ex unâ parte impugnanda indicetur per activa remedia materia inspissans, ex aliâ solvens & acris mitiganda sit per edulcorantia & inertia, quæ omnia inter se pugnare videntur: undè difficilis earum curatio. Parotides erumpentes sine symptomatum imminutione vel cum eorum augmento exitium prænuntiant, & è contrà salutem cum remittunt symptomata, in priori namque casu significatur materia febrilis exuperans, in posteriori parca & quoad majorem partem è sanguine redacta in eas glandulas; idem pronuntia de bubonibus subortis.

Quare tumores hi omnes in priori casu dicuntur *symptomatici*, in posteriore *critici*, qui significant depurationem sanguinis, dùm alii ejus corruptelam subsistentem ostendunt. Verùm anthraces semper sunt symptomatici ac

funeſtum eventum prænuntiant, denotant enim in ſanguine magnam acrimoniam, corruptelam ſummam, mucilaginis vitalis deſtructionem, partium ſanguinis integrantium velut ſubverſionem ac miſcelam deſtructam, uno verbo hujus liquoris vitalis conſtitutionem gangrænodeam ac ſiderationem omnibus viſceribus infenſam, eiſque inflammationes gangrænodeas ac exitiales inferentem. Vomitus atræ bilis ſæpè funeſtus, ſignificat enim materiam febrilem acerrimam ac velut corroſivam ſimulque abundantem & in ſanguine & in primis viis. Mictus ſanguineus mortem prænuntiat, denotat enim vi materiæ febrilis acerrimæ ſolutos adeò fuiſſe globulos purpureos, ut è ſanguine in fiſtulas renales cum urina eruperint; Sopor ſuccedens delirio multùm periculi portendit, ſignificat enim vaſa cerebri priùs infarcta phlogiſticè tonum jam amiſiſſe, infarctaque fuiſſe ulteriùs ſanguinea. Febres malignæ purpuratæ cæteris paribus aliis non purpuratis periculoſiores ſunt, ſignificant enim vi acri ſolutos eò uſque globulos purpureos ut è propriis vaſis in cutis lymphatica deviarint, ac

ſimile quid in viſceribus vix emendabile factum fuiſſe, aut ut fiat in procinctu eſſe, Et ſic variè prædicendum juxtà partes affectas, varietatem ſymptomatum, eorumve ſucceſſiones.

Febrium malignarum curatio à putridarum curatione parùm diſcrepat, undè diæta ſimilis per juſcula & potum aqueum aut ptiſanas diluentes inſtituitur, tùm ſanguinis miſſio ac purgatio potentiſſima auxilia ſunt. Animadvertendum tamen circà ſanguinis miſſionem eam in Febribus malignis non utique ut in putridis liberalem eſſe inſtituendam comprobante experientiâ, cùm in Febribus malignis rarefactio ſanguinis impetuoſa adeò non ſit ac in ſimpliciter putridis, nec vaſorum elater adeò robuſtum. Ad purgationem autem quod ſpectat ea quidem frequens æquè ac in Febribus putridis imperanda, eâ ſiquidem Febrium malignarum curatio potiſſimùm abſolvitur, eâque omisâ imò ſatis ac pluries non repetitâ auxilia cætera fruſtranea fiunt, ægerque miſerè occumbit. Verùm tamen reſpiciendum magis ægri viribus, quæ cardiacis identidem reſocillandæ ſunt, ne in-

terdùm concidant, præſertim cùm Febris maligna ſit à magnâ inſpiſſatione. Quamobrem cardiaca frequentiùs quàm in putridis locum habent. De cætero emulſiones ac refrigerantia ut & diluentia ac edulcorantia tantùm præſcribenda ſunt, cùm acrimonia præpollet. Circà autem narcoticorum uſum cautiorem eſſe Medicum oportet tùm propter virium lapſum, tùm ne vaſa cerebri laxentur, ſoporque ſuperveniat exitialis. Quapropter ea tantùm proficua ſunt, cùm urget agripnia aut pars aliqua dolet aut quocumque modo eſt irritata, ægerque ſimul conſtat viribus. Verùm ſanguis in Febribus malignis ex ſpiſſitudine à causâ febrili conceptâ tùm à fracto vaſorum elatere lentus adeò ſegnis ac torpidus exiſtit, ut pulſus ſæpè fiat inæqualis; intermittens, ſaltem debilis, imò accedant lypothymiæ ineunte præſertim exacerbatione cum frigore, quare tunc ad exſuſcitandas vires non tantùm cardiaca moderata, imò interdùm ſpirituoſa & volatilia præſcribenda ſunt ex neceſſitate, ut lilium paracelſi, ſpiritus volatiles, ſpiritus therebinthinæ, & ſimilia. Cùm autem ex tali ſanguinis

ſpiſſitudine tùm & vaſorum omnium ac præſertim cerebri inertià ſopor altus ægrum occupat, tunc incaſsùm adhibitis purgantibus, cardiacis, ac hydroticis, efficaſſimum remedium eſt veſicatorium è cantharidibus ſcapulis applicatum, vi namque cantharidum ſolvitur adeò ſanguis, ut citiùs & certiùs fluxilitatem recuperet, quàm à vi quâcumque ſalium volatilium aliorumve potentiſſimorum cardiacorum, ſimulque exſuſcitentur vires vaſorum omnium & cordis, pulſu redeunte valido, frequenti, æquali, diſcuſſoque ſopore; id quod ſæpè experientia demonſtravit. Et ità per varia auxilia opportunè adhibita feliciter impugnantur malignæ Febres, eorum præcipuorum applicandi rationejàm ſuperiùs in putridarum therapeiâ expoſitâ.

Febrium malignarum ſic expoſitâ curatione generali auxilia in juniorum Medicorum gratiam, qui praxi Monſpelienſi operam dare decreverunt, fuſiùs ſanè ſunt declaranda. Cùm verò malignæ Febres ſint de genere putridarum, quæ jam dicturi ſumus exhibebunt quoque auxilia, quæ Febribus

bus ſimpliciter putridis oppugnandis conducunt ; attendendo tamen iis , quæ in curatione generali tùm putridarum tùm malignarum fuerunt animadverſa.

Juſcula ex carnibus ità parari ſolent , ut pro unâquâque doſi juſculi octo præter propter carnis unciæ inſumantur. Juſcula , quibus æger nutriendus eſt , ex carne vervecinâ parari ſolent , & cum pauco ſale , vel etiam nullo cùm calor acer , aut ſiccitas & ardor viſcerum oriſve obſervantur ; in quo caſu parari etiam ſolent juſcula ex carnis vervecinæ & vitulinæ partibus æqualibus , vel ex carne vervecinâ addito pullo gallinaceo juniori , nec niſi pauciſſimum ſal vel nullum additur. Cùm autem vires debiles ſunt ac velut exhauſtæ , vel propter debilem naturam , vel ex ſenio , vel ob morbi naturam , aut durationem , aut medicationem adhibitam , parantur tunc juſcula ex carne vervecina additâ portione gallinæ veteris , aut ſimpliciter ex caponibus , addito pauco ſale. Carne bovinâ non utimur. At pullorum vel carnis vitulinæ loco utimur nonnunquàm carne agnina aut caprillâ carni

vervecinæ additis. Quin & in casibus nonnullis in quibus acrimonia valdè urget, aut cùm stomachus nimis irritatus vel sensibilis & tensus nimiùmve æstuans juscula ordinaria respuit ab eis molestatus, ægrum tunc alimus cremoribus ex oryzâ incoctâ aquæ absque sale, iisque semper satis liquidis, aut similibus ex avenâ paratis, qui quidem cremores totam ægri alimoniam per plures dies interdùm absolvunt; aut etiam in die semel vel bis sumitur jusculum simplex ex pullo juniori sine sale, aut ex eo cujus venter oryzâ vel seminum quatuor frigidorum majorum contritorum semiunciâ aut circiter fuerit factus. At cùm penitùs juscula non sunt interdicenda vicibus alternis cremorem & jusculum sumet æger, vel etiam jusculorum consuetorum acrimoniam & activitatem obtundimus additis in singulis jusculi dosibus cochleari uno vel duobus vel tribus alicujus ex prædictis cremoribus aqueis, vel etiam coctionis carnis vervecinæ sub finem adduntur in ollâ oryzæ lotæ cochleari unum vel duo. Quolibet autem ex prædictis victu utatur æger, singulis quatuor horis alimen-

tum ei ſubminiſtratur, præter diem primum quo ſemel vel bis juſculum exhibere ſufficit, ſaltem ſi conſtet viribus.

Potus verò ejuſmodi ægrorum ordinarius vel eſt ptiſana quæ fit ex capilli veneris Monſpelienſium pugillo per horæ quadrantem in aquæ fontanæ libris tribus leviter incocto; vel aqua panis ſemiuſtulati fruſtulo tincta; vel aqua mera fontana aut fluviatilis. Cùm ſpiſceſcit notabiliter ſanguis, tùm pulſus languet, calorque vix excedit naturalem potandus erit æger decocto aliquo leviter incidenti ut ptiſanâ, quæ ſit decoquendo in aquæ libris tribus ſcorzoneræ radicis unciam unam aut unciam unam & ſemiſſem; ut etiam ptiſanâ cornu cervi, quæ fit decoquendo per horam aut horas duas in aquæ libris quatuor vel quinque raſuræ cornu cervi unciam aut uncias duas. Cùm autem prævalet acrimonia, ac potiſſimùm cùm primas vias divexat, aut pulmones aut vias urinarias; quæ ità cognoſcitur per corporis totius calorem acrem, ſiccitatem cutis, oris ariditatem, linguæ rigiditatem ruborem, ſitim, faucium calorem, tuſſim ſic-

cam, animam calidam, pectoris æstum, urinam flammeam, ardorem urinæ, vomitus biliosos imprimis bilis viridis, atræ, dejectiones similes, calorem abdominis, ventriculi morsum, æstum, dolores colicos, hæmorragias, scintillantes oculos, & reliqua in diagnosi relata, eaque plura vel pauciora præsentiâ, tunc sanè potus debet esse copiosus simulque edulcorans; quamobrem largiter tunc potandus erit æger ptisanâ pulli junioris, quæ fieri consuevit coquendo in aquæ fontanæ libris quinque per quinque horæ quadrantes vel sesquihoram pulli junioris gallinacei excoriatum corpus nec lotum in quatuor partes divisum. Sique ratione æstus aqua pulli magis temperans & aliquantùm refrigerans expetatur tunc unà cum pulli excoriatis frustis coquentur semina quatuor frigida majora contrita ad unciam semissem vel unciam. Si æstus autem magis urgeat, æger potandus erit liberaliter, ptisana dictà vulgò *emulsionata*, quæ fit terendo in mortario marmoreo seminum quatuor frigidorum majorum unciam sensim affundendo aquæ fontanæ libras tres, deindè

per linteum liquorem transcolando. Cùm autem turget nimis saburrâ ventriculus eâque imprimis acescente, nè adeò acescat corrumpaturve in eo prædicta ptisana, per horæ quadrantem coquitur ac iterùm transcolatur, & ità cocta exhibetur affatim ægro.

Præscribitur quoquè ad temperandam acrimoniam æstumque minuendum ptisana vulgò dicta oryzæ, coquitur nimirùm per horam orizæ lotæ cochlear in aquæ libris tribus, vel ptisana seu aqua hordei, scilicet in aquæ libris quatuor vel quinque coquitur ad crepaturam hordei integri manipulus. Cùm autem ptisanas quasque æger respuit, eæve in stomacho corrumpuntur eive graves sunt, ad diluendum simul & temperandum aquas *Aleinenses* præscribimus pro potu, quæ de genere sunt mineralium levissimarum. Verùm si ardor extiterit intensus, molestetque præprimis fauces ventriculum intestina vias urinarias, adsintve sitis magna, aut vomitus vel dejectiones materiæ biliosæ calidæ & acris, tunc ad potandum præscribimus aquam in quâ ad levem aciditatem infusa fuerint frusta li-

moniorum, aut cui limoniorum ſuccus additus fuerit ad gratam aciditatem cum pauco ſaccharo; vel addimus, ſed rariùs, aquæ ſpiritum ſulfuris ad gratam aciditatem; vel alicujus ex prædictis ptiſanis cyatho addimus identidem ſirupi alicujus acidi, ut limoniorum, mali punicæ, groſſulariæ, oxiacanthæ, agreſtæ, mororum, drachmas duas aut unciam ſemiſſem. Interdùm quoque ſed rariùs ad temperandum ſanguinis æſtum præſertim cùm ex eo laborant viæ urinariæ, potamus ægrum aqua nitroſâ, ſolvendo nimirùm in aquæ fontanæ libris tribus aut quatuor nitri depurati vel ſalis prunellæ drachmam circiter. Et hi ſunt potiſſimùm potus, qui in curandis Febribus malignis & ſimpliciter putridis iu uſum veniunt.

Poſtquam ægrorum ejuſmodi diætam ſeu victûs rationem declaravimus, reliqua exponenda veniunt, quæ his ferri ſolent, auxilia tùm è Chirurgia cùm è Pharmacia deprompta. Ea autem quo modo eligenda ſint & applicanda, & quas ob rationes, & in quibus circumſtantiis, & cùm quibus cautelis, in curatione Febrium in ge-

nere, tùm in Febris ſynochi imputris, Febrium putridarum, &malignarum therapeia generali jam ſatis anteà fuit traditum, ut plura ex præfatis repetere neceſſum non ſit.

Quoad tamen ſanguinis miſſionem addere ea juvat. Quâcumque vena ſectâ brachii putà, pedis, colli, ſingulis vicibus ſanguinem effundi ſolere ad uncias octo vel novem (loquimur de adulto in eâ curatione) intereà tamen tantùm ad uncias ſex vel ſeptem cum amplam ſanguinis miſſionem vires ferre non poſſunt, imò interdùm cùm pulſus debilis eſt, ad uncias tres aut quatuor. Ubi notandum ſæpè magis proficuum eſſe ſanguinem per plures vices intrà certum tempus parcâ manu quâque vice mittere, quam eamdem ejus quantitatem intrà idem tempus per vices pauciores, adeòque ſingulis vicibus copioſius, detrahere, ſaltem in Febribus malignis, ex largis enim ſanguinis miſſionibus vires ſæpè concidere docuit obſervatio, ac demonſtrat theoria Febrium malignarum jàm expoſita. Ut in cæteris Febribus continuis acutis ſic & in malignâ Febre

ſanguis primis morbi diebus potiſſimùm mittendus, & ſemper incipiendum à ſanguinis miſſione ſtatim ac ineunte morbo pyrexia declarata eſt, ſeccùs inflammantur viſcera, neç emeticorum nec catharticorum aliorumve remediorum felix eſt deinceps ſucceſſus, morbus autem per inflammationes viſcerum factus infeſtior aut ægrum perimit, aut eum in ſummum conjicit vitæ diſcrimen. Nec tantùm primis morbi diebus celebrandæ ſunt venæ ſectiones, verùm & ſæpè deinceps in morbi progreſſu ac præſertim in akme exacerbationum ex neceſſitate iterandæ ſunt juxtà morbi ſævitiem ac ſymptomata, quæ ſuperveniunt, quæque inflammationes viſcerum aut factas aut imminentes denotant. Cùm caput eſt affectum ut in caſibus ſoporis, delirii, convulſionum, doloris proprii, ſanguis è pede potiſſimùm mittendus, imò interdùm è venâ jugulari modò tamen plures præceſſerint venæ ſectiones, ut eâ ratione ex eâque cautelâ ſanguis revellatur à cerebro. At dùm abdomen multùm laborat aut dolore aut ſtatu inflammatorio miſſio ſanguinis è pede dubia ſit aut evi-

denter nociva, cùm eo mittendi ſanguinem, modo ſanguis in affecta abdominis viſcera magis determinetur: quare tunc venæ eliguntur ſecandæ è brachio, ut & cùm pectus potiſſimum afficitur, licet ſanguinis miſſio è pede affecto pectore interdùm etiam inſtituenda ſit, nimirùm quando inflammatione afficitur pleura in parte supernâ pectoris. Cùm autem caput internum affectum eſt, de cætero plures nequicquàm inſtitutæ fuerunt venæ ſectiones, vel etiam cùm debiles ſunt vires ſanguis intereà mittendus, tunc applicandæ ſunt temporibus hyrudines duæ nimirùm aut tres tempori unicuique, eo namque modo ſanguis non mittitur copiosè, neque impetuosè ſed lento fluxu, ſimulque fit revulſio à cerebro, quâ levatur æger.

Cùm autem per purgantia impugnetur directè cauſa tùm malignarum tùm putridarum Febrium, iis nimirùm adhibitis evacuetur non modò materia febrilis in cavo ventriculi & inteſtinorum contenta, ſed & in organis ſecretoriis quibuſque, quæ inventriculum & inteſtina eructant,

hoſpitans & impacta imò & ſanguinem inquinans ac velut ei cohæerens ; ideò, docente decætero felici experientiâ incunctanter à Medico procuranda purgatio. Sic enim in principio morbi imperata non equidem tollit cauſam morbi at eam tamen imminuit cum bonis ægris rebus ; ſecùs qui ſe geſſerit felix non erit in praxi putridarum & malignarum Febrium, & naturam opitulantem & materiam febrilem coquentem otioſus ſpectans ; tragica videbit. Quamobrem quantocyùs & ſecundo aut tertio ad majus morbi die, ſi nihil obſtiterit, celebratâ primis diebus aut tantùm primo die venæ ſectione ſemel aut bis aut ter, ac inſtituta, ut docuimus, diæta præſcribendum pharmacum quo expurgentur primæ viæ ; id autem eligitur tantùm vomitorium ſi ventriculum ſaburrâ ſcatere plurimùm fuerint ſigna, intereà nihil contradicat ; vel ſi ſopor in primâ morbi invaſione ægrum occupet utcumque videantur eſſe contra-indicationes, modò ægri vires ſatis conſtent. Quare.

Rec. *vin. ſtibiat. unciam unam & ſemiſſem, vel unc. duas. f. hauſtus.* vel.

Rec. *tartar. emetic. solubil. gr. sex aut septem aut octo, solve in aq. card. benedict. aut cichor. aut aq. communis unc. duab. aut trib. f. haustus.*

Vel, si non adsit ad somnum proclivitas, de cætero saburrâ ventriculus scateat cum calore aliquo viscerum tùm ad vomitum sit dispositio per nauseas, cardialgias, ructus, eructationes se prodens.

Rec. *ipecacuanhæ rad. pulverat. gr. viginti quinque, aut triginta aut triginta quinque, cum jusculi cochlear. quatuor aut quinque, aut cum aq. cichor. aut card. benedict. aut aq. commun. unc. trib. circiter. f. haustus.*

At cùm paulò dejectæ sunt vires pulsus nimirùm aliquantùm languet, calorque non est intensus, indicatio intereà est ad vomitum; tunc ex prædictis haustibus alicui additur aut confectio de hiacintho ad drachmam vel drachmam unam & semissem, aut, si vires magis sint erigendæ, confectio alkermes ad drachmam, vel theriaca vetus ad scrupulos duos aut drachmam, unà cum aliquot aquæ naphè cochlearibus. Itàque.

Rec. *aq. card. benedict. & aq. flor. aurantior. ana unciam unam & semissem,*

tartar. ſtibiat. ſolubil. gr. ſex vel ſeptem confect. de hiacinth. drachman unam, vel confect. al Kermes aut theriac veter. ſcrupul. duos aut drachm. unam. f. hauſtus.

Et ſic de cæteris hauſtibus prædictis, cùm addendum eſt cardiacum.

Ubi moneo nos tartaro emetico uti ſolere, quod ex antimonii hepate paratur, cùm enim id ex antimonii vitro paratum fuit, quartâ aut tertiâ parte circiter minuenda eſt ejus doſis.

Cùm autem contingat frequentiùs in morbi principio indicationem non eſſe ſimpliciter ad vomitum, cùm nec urgeat ſopor, nec ſumma in ventriculo pravorum ſuccorum aggeſtio denotetur; ſigna autem adeſſe ſoleant ſaburræ in toto primarum viarum tractu, hoc eſt in ventriculo & inteſtinis, præſentis, ideò tunc & ventriculus & inteſtnia continuâ actione purganda ſunt, ſociando nimirùm catharticis emetica ſed fractâ doſi. Igitur.

REC. *ſenn. mundat. drachm. duas, aut drachm. duas & ſemi. ſemin. contrà pugill. unum, ſal. vegetabil. drachm. unam, inf. ſuprà cineres calidos per noctem inſ. q. aq. font. & incolatur. unc. ſex diſſol. mann. calabr. uncias duas, tartar. ſtibiat. ſolubil. gr. tria vel quatuor f. p. mane ſumend.*

Verùm

Verùm cùm experientia nos docuerit purganda esse in his regionibus calidis corpora ac præsertim æstate cum magnâ vehiculi copiâ, ideò cum feliciori successu potionis purgantis duos cyathos sæpiùs præscribimus, eâ enim purgandi normâ nec molestantur adeò nec incalescunt abdominis viscera pectusve, obtinetur intereà evacuatio abundans & absoluta sine torminibus, quam æger fert sine tantâ virium jacturâ, succis pravis nimirùm à copiâ liquidi purgantis valdè dilutis factisque magis obsequiosis, nec intereà intestinis adeò lacessitis. Quare.

Rec. *sen mundat. drachm. duas & semi. vel drachm. tres, semin. contrà pugill. unum, sal. vegetabil. drachm. unam, inf. per noctem suprà cineres calidos in s. q. aq. font. ad unc. duodecim, cola pro duab. dosib. in quarum primâ dissol. mann. calabr. unc. duas, tartar. stibiat. solubil. gr. tria, & in secundâ dosi dissol. mann. calabr. unc. unam tartar. stibiat. solubil. gr. duo. f. p. pro duab. dosib. mane intrà tres aut quatuor horas sumendis interjecto jusculo.*

Cùm autem urget casus & in procinctu præscribenda venit potio purgans, tunc ea quæ infundenda præscripsimus pharmaca in aquæ paulò

majori quantitate per horæ quadrantem aut ſemihoram levi ebullitione coquenda ſunt, tùm in colaturâ eadem, quæ diximus diſſolvenda, diſſolventur, & ità ſimilis vis præter propter parabitur potio purgans, per ebullitionem ſiquidem vis acutior cathartici elicitur, quam per infuſionem calidam, quamobrem brevis ebullitio inſtitui ſolet.

Si autem debilior ſit ægri natura aut ſi æger temperamento acri & calido præditus ſit, aut corpus & viſcera ſicca, aut acrimonia demonſtretur, timeatur viſcerum ardor aut ſenſus inteſtinorum exquiſitus, intereà tamen ob inſignem pravorum ſuccorum in primis viis apparatum purgans efficax exigatur.

Rec. *tamarind. pingu. unciam unam aut unciam & unam ſemi. bull. per ſemihoram in ſ. q. aquæ fontan. ad unc. duodecim in quib. inf. ſenn. mundat. drach. duas flor. perſicor. manipulum ſemiſſ. cola pro duab. doſib. in quarum primâ diſſol. mann. calabr. unc. duas, tartar. ſtibiat, ſolubil. gr. duo, & in ſecundâ diſſol. mann. calabr. unc unam, tartar. ſtibiat ſolubilis gr. unum, f. p. pro duab. doſibus mane intrà hor. quatuor ſumend. interjecto juſculo.*

Vel, si mitiùs purgandus est æger cum aliqua tamen efficatiâ.

REC. *tamarind. pingu. & pulp. cass. recenter extracta ana unc. unam, sal. ebsoniensis drachm. unam bull. in s. q. ac. font. per semihoram ad uncias decocti duodecim in quib. inf. senn. mumdat. drachm. unam & semi, aut drachm. duas, aut folliculor. senn. drachm. duas, flor. malv. vel flor. violar. manipul. semi, cola pro duab. dosib. in quarum primâ dissol. mann. calabr. unc. duas, tartar. stibiat. gr. duo, & in secundâ mann. calabre. unc. unam, tartar, stibiat. gr. unum. f. p. pro duab. dosib. mane intrà horas quatuor sumendis interjecto jusculo.*

Ubi notandum ægro exhiberi interdùm secundum potionis purgantis cyathum horis duabus tantùm elapsis ab assumpto primo cyathu, nulloque interjecto jusculo; quod fit cùm purgatio expetitur citior & amplior, intereà autem æger viribus satis constat, nec potiones purgantes multùm respuit, nec nauseat stomachus.

Juxtà autem ægrorum dispositiones prædictarum potionum carthartico emeticarum vi nunc per vomitum unà & secessum expurgantur pravi succi, nunc tantùm per secessum, sed cum majori efficatia ob additum tartarum emeti-

cum. Sunt qui tartari ſtibiati loco potionibus catharticis vinum addunt emeticum fractâ doſi, ut ad drachmas tres, unciam ſemiſſem, aut unciam; verùm res ſuccedit feliciùs per additionem tartari ſtibiati, cujus quidem actio non tàm cita eſt ac vini, ſed aliundè non tàm citò diſſipatur, quare dejectiones non adeò promptæ ſed protrahuntur diùtius, quod faciliùs ferunt ægri. Si tamen promptiores & ſingulæ abundantiores expetantur evacuationes, ſed quæ citiùs ceſſent, loco tartari vinum abſolutè addi poterit potionibus catharticis & jam traditis doſibus.

Jàm verò ſive purgans, quod ab initio exhibitum fuit, extiterit tantùm vomitorium ſive cathartico emeticum optima docet praxis diebus alternis per totum fermè morbi curriculum ægrum purgandum eſſe, modò nihil obſtet; docuit namque pluries obſervatio, quod cùm dies duo relinquuntur à purgatione liberi, intendi ſoleant exacerbationes, ac viſcus aliquod inflammatoriè infarciri; perniciosa adeò eſt in his Febribus materia febrilis neglecta, ut ſi perpetuò,

ut ità dicam, non expugnetur per purgantia, sibimet ipsi verò permitatur, increscat affatim, fiat sævior, ac strages excitet. Expugnabitur itàque diebus saltem alternis metuenda hæc morbifica materies, quantum fieri poterit, aut per potionem aliquam ex prædictis cathartico emeticam, aut per eamdem sine tartaro emetico, si casus tulerit; in quamplurimis tamen casibus optimum sanè est potiones catharticas tartari stibiati granis aliquot ità acuere, præsertim in morbi principio ac vigore, quò febrilis materia potentiùs evacuetur; morbo autem ad declinationem vergente aut declinante, cùm febrilis materia fluxilior facta sit, magisque expedita à sanguine, tùm secretiones omnes proindeque intestinales faciliùs fiant, tunc ad plenam purgationem cathartica sola sufficiunt.

Nec objicere juvat febrilem materiam primis morbi diebus crudam esse, hoc est spissam parùm fluxilem & sanguini nimis cohærentem, quæ non patiatur se purgari; nec addere dejectiones à purgantibus primis morbi diebus procuratas serosas esse sæpiùs

ac pharmaci violentiâ velut prolicitas relicto in massa sanguineâ materiæ febrilis viscido ac tenaciori, quod pejus est & magis infensum hujus materiæ morbificæ; præthereà ægrum non meliùs se habere, imò increscere morbum sævioraque fieri symptomata. Siquidem utcumque sæpiùs ea contingant, utiles fuere nihilosciùs ægro ità prolicitæ primis morbi diebus evacuationes, cùm ægrum à portione insigni pravorum succorum in ventriculo & intestinis hospitantium liberarint; cùm per eas evacuationes morbifici aliquid è sanguine semper fuerit eductum, licet vi illatâ. Imminuitur ergò ex his causa morbi, quam imminutam continuatâ deinceps medicatione opugnare facilius est. Non mirum autem peritis videbitur invitis primis evacuationibus morbum crescere, cùm eos non lateat morbos quosvis sanandos sua quatuor tempora percurrere debere, quod observatur evidentiùs in acutis, proindèque à principio deindè intendi ex necessitate & ad certum statum, in quo subsistant aliquandiù invitis naturâ & arte quâcumque, id quod latet ignarum vulgus,

Cùm autem ex conſtanti mundoque coævâ obſervatione morbus acutus ità moveri debeat, dico quod ſi primis ab invaſione putridarum aut malignarum Febrium diebus non inſtituta fuerit purgatio ſive ex ignorantiâ, ſive ex timiditate, ſive ex negligentiâ, ſive ex accidenti aliquo aut morbi complicatione, quæ purgationem præpedierint, dico, inquam, in augmento morbi aut in ſtatu ſæviora omnia futura eſſe, ſic ut aut æger occumbat, aut in longè majori verſetur periculo, quam ſi purgatio primis diebus fuiſſet inſtituta, tota namque remanet tunc materia febrilis, quæ ſibi relicta ſemper increſcit & ſanguinem ac digeſtiones magis & magis corrumpit. Verùm non tàm à ratiociniis quàm ab obſervatione praxim noſtram aſſerimus.

Nec tantùm, in malignis Febribus ac putridis, diebus purgandum alternis, ſed & interdùm (nimirùm cùm materia turget, intereà æger conſtat viribus) poſtridie purgationis ſuſtinenda, ut dicunt, purgatio. Illud autem fit interdùm infuſionis ſennæ levioris, & quæ parùm calefacit liberaliter exhibitæ ope, eo modo.

REC. *Senn. mundat. drachm. quatuor aut ſex, cum limonio in fruſtula ſecto. f. infuſio in aq. font. libr. duab. aut tribus, pro uſu.*

Nimirùm in juſculorum quoque intervallo ſumit æger ptiſanæ hujus laxantis cyathum, quouſque ſatis purgatus videatur.

Vel, poſtridie purgationis ſat activæ cui additum fuerat tartarum ſtibiatum, æger ità purgabitur.

REC. *Senn. mundat. drachm. tres, cum fruſtulis duobus aut tribus limonior. inf. in aq. font. libr. unâ aut tepidè, aut frigidè (ſi minùs purgandum ut æſtate potiſſimùm fieri conſuevit) aut leviter ebull. (ſi magis purgandum) cola & in colatura diſſol. mann. calabr. unc. duas aut uncias tres. f. p. in duas doſes dividenda.*

Vel etiam poſtridie purgationis alicujus, ut ſervetur alvus continuò fluens adeòque evacuetur continuò materia febrilis; in aquæ fontanæ libris duabus aut tribus ſolvuntur tartari ſtibiati grana decem aut duodecim hujuſque aquæ ſtibiatæ æger haurit cyathos quouſque evacuatio ſufficiens fuerit procurata. Utimur quoque interdùm eâ aqua ſtibiatâ pro infantibus ſæpè minùs obſequioſis ac docilibus, adultiſve quorum imaginatio aut ſtomachus potio-

nes purgantes compositas respuit, eam namque potandam eò usque consulimus, quò satis videantur purgati, tuncque subsistendum. Verùm is purgandi modus non instituendus cùm æger potiones prædictas purgantes non respuit, eæ namque præferendæ, teste enim experientiâ perfectius purgant. Verùm in his Febribus purgantia numquàm adhibemus sub forma siccâ ut pulveris, opiatæ, boli, pilularum, præterquám enim quod subsequuntur exin catharses incertæ aut saltem imperfectæ, insuper viscera exin ardorem aut dolorem sæpè pati observamus.

Cùm autem per duos dies continuos purgatus fuit æger die tertio à purgatione ut plurimùm abstinendum, ne per adeò protractas evacuationes vires concidant, sed elapso eo die, iterùm ad purgantia recurrendum. Diebus autem à purgatione liberis æger aut quietus relinquitur, aut pro exigentiâ ei prescribitur enema, quod modo ex aquâ fontanâ cum duobus tribusve olei olivarum cochlearibus simpliciter paratur, modò laxans præscribitur juxtà indicationem. Ità.

Rec. *Fol. malv. & parietar. ana mani-*

pulum unum coq. cum ſ. q. aq. font. ad libram unam, in quâ diſſol. catholic. pro ore unc. unam aut uncias duas. f. enema injiciend. hora commodâ.

Vel, ſi æſtuent viſcera, de cætero craſſa inteſtina ſint purganda.

Rec. *Fiſtular. caſſ. contritar. unc. ſex vel octo, flor. malv. pugill. unum, vel manipulum ſemi, bull. cum ſ. q. aq. font. ad libr. unam. f. decoctum pro cliſtere horâ congruâ injiciendo.*

Cæterùm declinante morbo potiones catharticæ præſcribuntur mitiores nec acuuntur emetico, tùm quòd vires ſint exſolutæ, tùm quòd materia febrilis per diætam, vim morbi ac medicaminum facta fluxilis levi cathartico facilè obſequi ſoleat. Imò in caſibus nonnullis Febrium malignarum & putridarum quovis morbi tempore mitioribus catharticis vulgò dictis *minorativis* eſt utendum ut cùm inflammatoriè laborant multùm pulmo, inteſtina, viæ urinariæ: verùm cogit neceſſitas, undè tunc utimur tamarindis, caſſiâ, mannâ, imò ad temperanda etiam illa levia cathartica addimus violarum flores aut malvarum ad pugillum unum aut manipulum ſemiſſem. Intereà tamen in Febribus

putridis aut malignis utcumque pulmo inflammatione ſit affectus, veraque adſit peripneumonia, cùm efficacem evacuationem res exigit, eam potionem felici cum ſucceſſu præſcribimus.

REC. *Mann. calabr. unc. duas & ſemi, aut unc. tres, diſſol. in aq. font unc. ſex vel octo, vel in unc. totidem decocti tamarind. & in colatur. diſſol. tartar. ſtibiat. ſolubil. gr. duo aut tria f. p.*

Potio hæc efficaciter purgat, nec vix ab eâ incaleſcit pulmo, quod fieret ſi præſcriberetur ſenna, quam ideò in eo caſu proſcribimus.

Si autem in Febrium malignarum aut putridarum decurſu ſupervenerit ſopor, vires de cætero ſatis conſtent, tùm exuberantis ſaburræ in primis viis ſigna ſint, vomitorium præſcribimus ex neceſſitate doſi ſufficienti ut vinum emeticum aut tartarum emeticum (ſive vomitorium in morbi initiis jàm fuerit præſcriptum, ſive neutiquàm) cùm carthartico-emetica potio ſufficiens ad ſoporem diſcutiendum non videtur.

Et ex his, quomodò in tractandis his Febribus Medicus ſe gerere debeat per purgantia, quæ ſola cauſam earum materiam nimirùm febrilem tollunt, ſatis eluceſcit.

Nonnulli in eâ curatione pluris habent præparationem antimonii, quæ dicitur Kermes mineralis; qui eſt antimonii ſulfur per potentia ſalia alkalica per coctionem ex eo minerali eductum; quòd, inquiunt, majori doſi purget per vomitum, minori per ſeceſſum, minori adhùc per cutem, ac minimâ repetitâ eliquet ſanguinem. Verùm præparationis hujus antimonialis operatio eſt incerta & infida, nullus autem iis Febribus liberari poteſt niſi per evacuationes per primas vias efficaces & pluries repetitas ſine morâ, nec umquàm ullo medicamine in his Febribus ſanguis fluxilitatem naturalem erit recuperaturus, niſi materia febrilis per primas vias ſufficienter fuerit evacuata, ità docente experientiâ. Porrò certiùs purgamus per prædicta. Quare in noſtrâ regione in curandis Febribus putridis aut malignis, ſaltem in morbi vigore, Kerme minerali vix utimur.

Jàm verò in curatione putridarum & malignarum Febrium generali, cur emulſionibus & julepis utamur ſive refrigerantibus ſive narcoticis, & in quibus caſibus cùm jàm ſuperiùs ſatis fuerit indicatum

indicatum, ideò tantùm horumce medicaminum formulas hîc deſcribere juvat, additis paucis annotationibus. Itàque.

Emulſio ſimpliciter temperans.

Rec. *ſemin. quat. frigid. major. mundat. drach. quatuor, terantur in mortar. marmor. ſenſim aff. aq. font. aut decoct. hord. unc. ſex, in colatur. dilue ſyrup. de nymph. drach. ſex aut unc. unam. f. emulſ. ſerò ſumend.*

Emulſio magis temperans ac refrigerans.

Rec. *ſemin. quatuor frigid. major. mund. unc. ſemiſſem, ſemin papaver. alb. drachm. duas, terantur in mortar. marmor. ſenſim aff. aq. lilior. & roſar. ana unc. tres, in colat. dilue ſyrup. de limon. aut de granat. aut de agreſt. unc. unam f. emulſ. ſerò ſumend.*

Emulſio narcotica.

Rec. *ſemin. quat. frig. maj. mund. unc. ſemiſ. terantur in mortar. marmor. ſenſim aff. aq. font. unc. ſex, in colat. dilue ſyrup. pap. alb. drachm. quat. vel ſex. f. emulſ. ſerò. ſumend.*

Emulſio magis narcotica.

Rec. *materiam emulſionis præcedentis & in colatur add. ſyrup. papav. alb. drachm. tres aut. quat. laudan. liquid. ſydenham. gutt. decem aut duodecim.*

Vel, ſi magis efficax expetatur ad ſoporem conciliandum, ſiſtendoſque dolores, aut delirium phrenicum compeſcendum.

Rec. *materiam emulſ. prædict. in colat. add. laudan. liquid. gutt. viginti aut trigint. vel ejus loco diſſol. laud. opiat. gr. unum aut gr. unum & ſem. f. emulſ.*

Si autem emulſio narcotica expetatur quoque refrigerans & in diverſo gradu, alicui ex prædictis emulſionibus refrigerantibus deſcriptis, addentur ingredientia narcotica tradita in emulſionibus narcoticis, juxtà indicationes & refrigerandi ſimul & compeſcendi & ſomnum conciliandi. Cùm autem emulſio cocta (quæ minùs tamen temperat quam cruda) ratione ſtatûs ſtomachi exigitur, tunc coquitur per horæ quadrantem materia aliqua prædictarum emulſionum, eique per linteum tranſcolatæ, adduntur prædicta ut de emulſionibus crudis dictum juxtà indicationes. Verùm ad materiam emulſionum conficiendam amigdalas dulces non addimus; quod ex his emulſiones graviores fiant ſtomacho, & faciliùs corrumpantur in materiæ febrilis augmentum.

Cùm autem omiſſis emulſionibus, julepi ſunt præſcribendi, ſeu quod idem eſt cùm eiſdem indicationibus non per emulſiones ſed julepos eſt

ſatisfaciendum, ob rationes locis citatis memoratas, ſequentes julepi uſui eſſe ſolent.

Julepus temperans.

Rec. *aq. lilior. & roſar. ana unc. tres, in quib. dilue ſyrup. de nymph. drachm. ſex aut unc. unam. f. julep. ſerò ſumend.*

Julepus refrigerans.

Rec. *aq. lilior. & portulac. ana unc. tres, in quib. dilue ſyrup. limonior. aut ſyrup. granat. aut de agreſta drach. ſex vel unc. un. f. julep. ſerò ſumend.*

Julepus magis refrigerans.

Rec. *aq. portulac. & ſperniol. ana unc. tres, ſpirit. ſulfur. aut vitriol. gutt. octo vel decem, ſyrup. de limon. aut granator. drach. quatuor vel ſex. f. julep.*

Julepus Narcoticus.

Rec. *aq. chichor. unc. tres vel quatuor, in quib. dilue ſyrup. papaver. alb. drachm. quatuor vel ſex. f. julep. ſerò ſumend.*

Julepus magis Narcoticus.

Rec. *aq. cichor. aut papaver. rhead. unc. tres, ſyrup. papaver. alb. drachmas tres aut quatuor, laudan. liquid. ſidenham. gutt. decem vel qnindecim. f. julep. ſerò ſumend.* vel.

Rec. *aq. cichor. unc. duas, in quib. dilue laudan. liquid. gutt. viginti aut viginti quinque aut triginta, vel quib. diſſol. laudan. opiat. gr. unum aut granum unum & ſemi. ſ. hauſtus ſerò ſumend.* vel etiam.

Rec. *laudan. opiat. gr. unum aut gra-*

rum unum & semi, cum aq. naphæ vel aq. font cochleari deglutiatur. vel.

Rec. *pilular. de cynoglosso gr. sex, vel octo, vel decem f. pilula aut pilulæ duæ cum aq. naphæ aut aq. font. cochleari uno aut altero, serò degluttiend.*

Et ea sunt potissimùm narcotica quæ in eâ curatione præscribimus, ac per exempla tradita unusquisque narcotica eligere, eorumque doses in variis casibus determinare poterit.

Sæpè autem cùm in malignis Febribus contingat pulsum fieri debilem aut intermittentem, imò ægros lypothimiâ nonumquàm corripi aut syncope, tunc sanè cardiaca præstò esse debent, & in vario vis gradu. Quare si vis cardiaci mitis expetatur.

Rec. *aq. card. benedict. & flor. aurant. ana unc. duas, aq. cinnamom. hordeat. unc. unam, syrup. flor. tunicæ drach. sex vel unc. unam, confect. de hyacinth. drach. unam, f. julep. quâvis horâ (pro exigentia) exhib.*

Vel, si vires magis sint refocillandæ.

Rec. *aq. card. benedict. & aq. flor. aurantior. ana unc. duas, aq. cinnamon. unc. unam, confect. de hyacinth. & confect. al-Kermes ana drach. unam, vel theriac. veter. & syrup. Kermesini ana scrup. duos aut drach. unam. m. f. p.*

Huic potioni addi quoque poterit pulvis viperarum, à granis decem ad grana viginti.

At si vis cardiaci major & promptior expetatur.

Rec. *aq. card. bened. & naphe ana. unc. duas, aq. cinnam. unc. unam, conf. alK. vel syrup. Kermes. drach. un. vel drach. un. & sem. lilii paracel. gutt. vigint. aut trigint. aut quadragint. m. f. p. cochleatim sumend.* vel.

Rec. *aq. cinnam. & flor. aurant. ana unc. duas, sal. volat. viper. gr. dec. aut duob. aut quind. vel, sal. volat. loco, spir. volat. sal. ammon. gutt. vigin. aut trigint. aut quadrag. theriac. veter. aut syrup. Kermesin. aut confect. alK. drach. un. m. f. p.*

Hic animadvertere juvat potiones has cardiacas ut pluries per cochlearia ægro exhiberi, quousque nimirùm pulsûs vigor fuerit satis excitatus, hinc fit ut interdùm potio tota non sumatur, interdùm ea repeti debeat, & sanè pluries nonnumquàm imò per plures dies. At si res urgeat, proximè nimirùm lapsuræ sint penitùs vires, potio sumitur tota intrà paucum tempus in duas aut tres partes divisa, aut tota illicò hauritur.

Sed & utimur quoque in Febribus malignis cardiaco aliquo extempora-

neo, ut vini rubri generosi cochlearibus aliquot, theriacâ item, confectione alkermes, confectione de hyacintho, aquâ melissæ compositâ, nimirùm alicujus ex his compositionibus galenicis drachma una præter propter solvitur in vini aut aquæ fontanæ aut aquæ florum aurantiorum aut jusculi cochlearibus duobus aut tribus, & sic paratur ex tempore haustus cardiacus ægro exhibendus; vel si vires promptiùs sint erigendæ, aquæ melissæ compositæ guttæ viginti aut triginta cum cochleari vini vel aquæ naphe ægro traduntur; quæ omnia pro necessitate repeti facilè possunt.

Cùm timetur virium lapsus, exhibendum interea narcoticum, laudanum imprimis, sociari debent prædicta cardiaca narcoticis; hinc fit ut potionis cardiacæ cochlearia aliquot julepo narcotico in eo casu misceamus, cùm præstò est potio cardiaca eâque æger per cochlearia utitur.

Addimus interdùm narcoticis cardiaca cùm molestè afficitur à narcoticis stomachus excitatis nimirùm aut cardialgiis aut vomitu, (quod fit sæpiùs in sequiori sexu) aut cùm vires

debiles ſunt. At cùm vires ſunt debiliſſimæ abſtinemus à narcoticis. Cùm autem eveniat interdùm invitis prægreſſis catharticis imò emeticis ſoporem nihiloſeciùs occupare ægrum obſtinate, cumque pulſu intermittenti ac debili, qui nec à cardiacis nec à ſudorificis ſatis poteſt excitari; in eo caſu cùm ſignificetur ſanguinis ſpiſſitudo tenax quæ à prædictis remediis ſolvi nequit, veſicatorium eſt præſcribendum, eo modo.

Rec. *fermenti veteris cum aceto forti emolliti q. ſ. cui inſpergatur. ſ. q. pulveris cantharidum. f. paſta mollis extenſioni Scapularum applicanda.*

Partibus ſiquidem cantharidum in ſanguine ſuſceptis, ſcinduntur tantâ efficaciâ partes ſanguinis integrantes, ut is fluxilitatem recuperet, pulſus exſuſcitetur, ſanguis faciliùs fluat, liberetur que ab ingurgitatione & gravamine cerebrum.

Ad immutandam autem cum bonis ægri rebus materiam febrilem valet interdùm plurimum peruviamus cortex. Cùm ſcilicet materia febrilis eſt in parva quantitate ſimulque ſat ſpiſſa aut aceſcens. Quare cortex peruviamus

præſcribitur ad exacerbationes ſiſtendas aut minuendas ſolummodò, cùm jàm pluribus vicibus exhibita fuerunt purgantia, ſimulque ingruunt exacerbationes cum horrore, aut frigore alio febrili manifeſto. Exhibeturque duabus tribus imò quatuor interdùm vicibus in remiſſione, ſæpiùs ſub formâ pulveris, interdùm ſub formâ decocti, cùm pectus eſt debile, & iiſdem doſibus in Febribus intermittentibus, ſed ſemper cum aquâ.

Cùm autem impugnatâ per purgantia efficaciter materiâ febrili, ac morbo declinante, vi agitationis ſanguinis excitantur ſudores, tunc ſanè juvandus is naturæ motus, (numquam autem in principio & vigore morbi, neque cùm ſatis purgantia non præceſſerunt, ſudor enim tunc ſemper eſt ſymptomaticus) remanet namque tunc pauca materia febrilis & ſatis attenuata, quæ ſub ſudoris fætidi ſpecie per cutem eliminari poteſt. Undè præſcribenda tunc potio ſudorifica.

REC. *aq. card. bened. & cichor. ana unc. tres, theriac. vet. drach. unam. antim. diaphor. drach. ſemi. aut ſcrup. duos, pulv. viper. ſcrup. unum. m. f. p. ſtatim exhib.*

Ea autem potio feliciter præſcribitur, cùm pulſus factus fuit mollis & undoſus, ſimulque cutis mollior facta eſt ac humeſcere incipit, ea namque ſudoris ſpontanei imminentis ſigna ſunt.

Et ità per auxilia prædicta, & cum cautelis memoratis ritè exhibita, Febres tùm malignas, tùm putridas feliciter impugnamus, non otioſi criſium expectatores, nec turbare naturam metuentes, at eam oppreſſam & aberrantem efficaci operâ juvantes ac dirigentes..



CAPUT SEPTIMUM.

De Febre Ardente.

FEbris hæc *Cauſus* ſpeciatim ab Antiquis dicta eſt, licet genericè per CauſumFebrem intellexerint quamcumque ſivè continuam, ſivè intermittentem, ſivè eſſentialem & primariam, ſivè ſymptomaticam, in quâ obſervatur ardor ſummus; prout ſignificat apud Græcos illa vox *Cauſos.*

At cùm in Galeni aliorumve Auctorum ſententias non inquiramus, ejuſmodique diſputationes vanas habeamus, de Febre ardente dicere ſufficiet, prout eam hodiè ponimus & habemus.

Febris Ardens eſt Febris continua acuta, ardore ſummo totius corporis præſertim interaneorum & ſiti incompeſcibili ſtipata. In eâ Febre lingua eſſe ſolet ſicca, aſpera & fuſci coloris, os amareſcit, ſtomachus morſu afficitur, reſpiratio eſt difficilis, denſa & magna, fitque ſæpè ore patulo, ſpiritus efflans plurimùm calidus eſt, accedunt vigiliæ pertinaces, imò interdùm deſipientia præſertim phrenitica; alvus aliis compreſſa ſoluta eſt aliis, ſed cum fluxu bilioſo, æger valdè tus eſt, cutiſque ſicca ſæpèque aſpera quin & interdùm ſquallida deprenditur. Pulſus magnus eſt fortis valdè citatus.

Febris hæc juvenes & quidem robuſtos invadere præcipuè conſuevit. Pluriès æſtate, & adhùc magis ſub finem æſtatis afficit, potiſſimùm poſt magnos labores intenſaque exercitia, citiùſque Febre putridâ vulgò dictâ terminatur.

Ex his omnibus Febris hujus materiei febrilis genium ſtatuere pronum erit aſſerendo eam materiam utut aliquantùm ſpiſſam ex ſeri inopiâ valdè acrem eſſe fœtamque particulis multùm extricatis, duris ac mobilibus, ac velut bileſcentem ſed acriter.

Patet hinc ab eâ materiâ febrili, ſivè in primis viis primogenitâ indèque in circulationis vias deductâ, ſivè in ſanguine procreatâ indèque primas vias inquinante, ab eiſque poſt corruptelam ulteriorem paſſam in vias circulationis reductâ ſanguinem ipſum aliquantùm inſpiſſandum fore, ſimulque vehementer exagitandum, ac in excandeſcentiam magnam ducendum, tantò magis quò Febris hæc eos præſertim invadere ſoleat, quibus ſanguis jàm ſiccus eſt & acer, ſimulque cordi vaſis ſanguiferis totique ſyſtemati fibroſo jàm roboris plurimùm ineſt.

Ex his ſequitur Febrem ardentem ſpeciem eſſe reipsâ Febris putridæ, ut eſt ea, quam Antiqui vocabant *Synocham bilioſam.* Loquor enim in eo Capite *de Febre ardenti legitimâ & humorali*, minimè autem *de Febre ardenti ſymptomaticâ*, quæ magnis inflamma-

tionibus nonnullis præſertim eryſipelatodæis partium internarum, magnis doloribus panaritio, magnis ſupurationibus, & ſimilibus ſupervenit, quæque Febris *Ardens Notha* æquiùs dicenda eſt. Cùm autem Febris putridæ ea ſpecies genium peculiare exhibeat, ægrum incendio velut & ſiti inextinguibili torquendo, tùm Febre putridâ ordinariâ terminetur citiùs, ideò ſub ſpecialis Febris ardentis titulo pertractanda eſt.

Jàm verò cùm Febris ardentis materia febrilis particulis adeò activis & extricatis ſcateat, patet ſanguine ab eâ ut cum que inſpiſſato vel frigus nullum febrile ſuboriendum fore ingruente Febre, vel leve, vel ſi forſan ſubortum notabile ſaltem breve futurum citò ſuccedente incendio. Patet quoque in genere ex abundantiâ partium earum durarum & activarum partibus cœteris viſcoſis materiæ febrilis parùm cohærentium ſanguinem in æſtum & excandeſcentiam magnam citò à morbi ingreſſu ducendum fore, quæ durabit tamdiù particulæ illæ activæ ſubſiſtent in ſanguine. Cùm autem viſcoſum illius materiæ febrilis non ſit valdè tenax,

tùm

tùm tumultus ingens à particulis illius activis in ſanguine excitetur, diù non reſiſtet ſolutioni ſuæ totali materia illa febrilis, hinc fit, ut Febris ardens non duret adeò ac putrida ordinaria, diemque decimum rarò tranſgredi ſoleat, ſanguine ab eâ intrà paucum tempus liberato, nec tamen ſine periculo quamdiù viget Febris hæc.

Cùm itàque ab eâ materiâ febrili ſanguis in ſummam ducatur agitationem, ex quâ ingens ſequitur rarefactio, de cætero, qui eâ Febre laborant vaſorum tunicas habeant robuſtans, ſiccas, valdè elaſticas; prætereà bileſcens materia & acris in ventriculo & inteſtinis, morbi fomes, ſæpè turgeat, explicantur ex his facilè omnia ſymptomata, nimirùm pulſus magnus, frequens, citatus, tenſus; calor ingens in interaneis & corporis ambitu; ſitis incompeſcibilis abſumpto nimirùm ab æſtu febrili ſerò tenuiori tùm ſpeciatim in faucibus ab animâ calidâ eò pulmonibus æſtuantibus erumpente; ex his etiàm ſequitur linguæ ſiccitas, aſperitas, color fuſcus, qui etiàm exhalantibus è ventriculo bileſcentibus miaſmatis adſcribendus, undè etiàm

oris amaror; explicantur etiàm facilè dolor capitis summus ac tensivus; tensio summa cerebri undè vigilia contumax ac sæpè delirium imprimis phreniticum; ruptio vasorum membranæ pituitariæ ac hæmoragia; difficilis sanguinis transitus cum æstu in pulmonibus, undè respiratio difficilis & magna densaque, anima calida, sique meabilitatis sanguinis augeatur ea difficultas, dispositio in pulmonibus inflammatoria, imò interdùm inflammatio; item viscerum abdominalium æstus, calor ventriculi, tunicarum ejus nimia tensio ac dolorifica, quæ eam parit molestiam, quæ dicitur morsus ventriculi, qui eò magis excitatur, quò in eo præsens est materiæ febrilis portio & quidem naturæ biliosæ calidæ & acris, à quâ tunica ejus nervea lacessitur. Ità & absumpto ab æstu illo universali sero tenuiori facilè explicantur cutis siccitas, asperitas, squallor, urinæ rubor interdùm velut sanguineus calor & paucitas, alui siccitas & suppressio; hæc autem cùm nimis laxa sit, illud sanè materierum febrilium bilescentium & valdè acrium abundantiæ in primis

viis imputandum, quæ catharticorum more agunt, ſubque diarrhææ bilioſæ ſpecie per inferiora ſpontè purgantur; ſimiles autem pravi ſucci bileſcentes cùm in ventriculo congeſti ibimet acrimoniâ inſigni præditi ſunt, emeticorum more eum irritant, undè vomitus bilioſi.

Licet autem Febri ardenti exacerbationes accedere abſolutè eſſentiale non ſit, quòd materia febrilis è primis in ſanguinem fermè eodem tenore interdùm transferatur, in eâ Febre exacerbationes obſervare frequentiùs tamen eſt; quòd putridarum more materia febrilis morbi fomes in primis viis hoſpitans ſanguini identidem majori copiâ ſufficiatur, undè exacerbationes aut in modum tertianæ, aut duplicis tertianæ; quæ quomodò in eâ Febre tùm in quâvis continuâ exacerbante excitentur, cùm de Febribus intermittentibus ſermo erit, apertè deinceps declarabitur.

Corripit Febris hæc juvenes potiſſimùm & in ætate conſiſtenti, cùm imprimìs temperamento bilioſo hoc eſt calido & ſicco præditi ſunt; quòd ejuſmodi corpora ſanguinem habeant

consistentem validum simulque siccum & acrem, hoc est sero pauco particulis autem duris ac magnæ molis valdèque activis refertum, hinc fervidum, Fibras autem siccas, densas, tensas, valdè elasticas, robustas; undè robur insigne in corde arteriis venis; prætereà in corporibus ejusmodi digestiones cùm peccant, succi pravi bilescentes hoc est acres paulò spissi fervidi producantur ut plurimùm. Senes huic Febri parùm obnoxii sunt, ob vires imbecilles tùm sanguinis, tùm solidorum, tùm causarum digestionum.

Æstate sæpiùs cæteris anni tempestatibus Febres ardentes invadere solent, quòd à calore nimio tunc sanguis exsiccetur, fiatque acrior, insimul solida & fluida magis agitentur, hinc sub æstatis finem, ubi hæc ad magnum gradum evecta fuerunt, magis quàm æstate reliquâ corpora Febribus ardentibus prona sunt, nisi ex seri partiumque sanguinis tenuiorum dissipatione immodicâ vires ultrà modum fuerint exsolutæ.

Ex his consequitur causas Febris ardentis procatharticas mox recensendas acturas potentiùs in juvenes, in

ætate consiſtentiæ, in temperamento bilioſo præditos, ac æſtivo tempore.

Cauſæ hæ procatharticæ ſunt exercitationes nimiæ, vigiliæ diutiùs protractæ, impensè calidus aër, ira nimia, perturbationes animi violentæ diù protractæ, nam ab eis omnibus ſanguis nimis commovetur, tenditurque ultrà modum totum ſyſtema nerveum & fibroſum quodcumque, diſſipatur ſerum; tùm deinceps ſucci digeſtivi ſuppeditantur ſpiſſi & acres, quibus deſatigantur ſtomachus & inteſtina jàm ab æſtuoſo ſanguine nimiùm tenſa, nec ſatis alimentorum ſucci diluuntur, dùm penetrantur inæqualiter & tumultuosè à particulis nimis activis, ex quibus omnibus producitur in ſtomacho materia bilioſa & acris, quæ ſanguinem inficit, materiamque febrilem ſuperiùs ſtatutam ponit.

Cauſæ hæ ſunt etiam aromata, piperati cibi aut aromatibus quibuſcumque nimis conditi, cibi ſaporis eminentis & calefacientis, ut tubera; capſicum & ſimilia; liquores ardentes, vinum largiùs ſæpiùſque potatum; medicamina acria & calefacientia teme-

rariè adhibita ; lochia cohibita , menſtrua ſupreſſa , ſed in corporibus validis. Siquidem à cibis memoratis tùm medicaminibus, & liquidis ſpirituoſis partes activæ plurimùm ſanguini ſuppeditantur, à quibus is fervorem magnam concipit cum diſſipatione ſeri tenuioris & partis mucilaginoſæ tenuis abſumptione , hinc tenſione nimiâ ſyſtemati fibroſo & exſiccatione aliquâ conciliatâ ; de cætero calefactis valdè & immediatè à cauſis hiſce & ſtimulatis organis chylopæis ; & ex his omnibus digeſtionibus læſis cum productione materiei ſpiſſæ acris bileſcentis. At cùm cohibentur ſubitò lochia aut menſtrua fit interdùm , ut quamplurimæ partes acres, quæ excreta fuiſſent per uterum , in maſſâ ſanguineâ retineantur ; inſimul à cauſâ ejuſmodi evacuationem cohibente inſpiſſetur ſanguis ; cùm autem ex ejuſmodi ſupreſſionibus excitetur neceſſariò plethora , vaſa ſanguinea valdè tendentur & quidem ſpiſſo ſanguine & acri , fietque difficilis per vaſa minima ſanguinis progreſſus , undè Febris , inſimul fit difficilè ſecretio ſucci gaſtrici aliorumque ſuccorum digeſtivorum ,

quæ verò ex naturâ ſanguinis conceptâ ſpiſſa ſuppeditantur & acria, undè pravæ digeſtiones bileſcentium ſuccorum hoc eſt materiei febrilis Febris ardentis productrices.

Et in genere Febrium putridarum cauſæ quæcumque cùm in corpora in eo capite repræſentata agunt, Febres ardentes perſæpè progenerant, ob diſpoſitiones antè memoratas prævias, quodque in eis corporibus pravæ digeſtiones ad bileſcentiam tendere conſueverint.

Signa Febris ardentis pathognomonica ſunt calor deurens in toto corpore & ſitis incompeſcibilis cum pulſu magno, frequenti, citato, tenſo; undè ex his cognoſcitur Febris ardens. Cui diagnoſi accedunt ſigna *ſunedreuonta*, quæ ſunt reliqua ſymptomata in hujuſce Febris deſcriptione ſuperiùs allatâ, aut ex eis pleraque, cuncta enim ſemper non adſunt. Verùm quidem eſt in inflammationibus viſcerum ereſipelatodæis excitari ſæpè Febrim vehementem cum ardore univerſali, & ſiti intensâ; at tunc morbus, cùm is incipit per inflammationem, non denominatur ex indole Fe-

bris, sed ex inflammatione, datâ visceris, ità nuncupatur hepatitis, si hepar, peripneumonia, si pulmo, pleuritis, si pleura, nephritis, si renes, phrenitis, si cerebrum inflammatione erisipelatodæâ afficiantur primariò; & Febris ardens cùm in eis casibus observatur, secundaria est & inflammationi symptomatica; porrò in eo capite de Febre ardenti essentiali & primariâ agimus.

Febris ardens, cùm morbus sit vehemens, citò & cum periculo insigni sua percurrit tempora, nec ad diem decimum quartum extenditur, ut acutæ Febres aliæ: imò Febris ardens vehemens nunquàm excedit diem septimum, quare morbus peracutus est pronuntiandus. Sanguinis enim æstuosi adeò & rarescentis impetum diù ferre non possunt vasa præsertim minima, undè aut citò discutitur agitatione eâ materia febrilis, morbusque solvitur; aut ex distensione nimiâ tunicarum Arteriarum minimarum, quæ deindè restitui non possunt, fiunt alicubi præsertìm in visceribus ingurgitationes inflammatoriæ eæque eresipelatodeæ, juxtà nimirùm genium Sanguinis acris

& æstuosi Febris ardentis, quibus Æger de medio sæpiùs tollitur. Si initio Febris hæc signa exhibet bona, ut si vomitus accedat biliosus, aut alvi fluxus biliosus, aut sudor copiosus ex universo corpore, si, inquam, hæc contingant cum levamine (quod denotat dissipatianem materiæ febrilis) aut si è naribus Sanguis profluat cum levamine Symptomatum (quod denotat Sanguinis rarefactionis vim exeri in membranam Pituitariam non adeò utique in Cerebrum aliave viscera, simulque vasa universìm per illam hæmoragiam depleri) in hisce casibus Febris hæc plerùmque solvitur quarto die, aut septimo ad majus. Senibus morbus is ut infrequens sic apprimè perniciosus est, ob debilitatem vasorum, quæ eâ sanguinis rarefactione obruuntur, quòdque senes largas missiones sanguinis ferre non possint in eô morbo curando protinùs necessarias. Et è contrà minùs periculosus in juvenibus. Febris ardens non rarò excitat pulmonis inflammationem, idque ubi fit exitium est in propinquo, namque tunc totus pulmo subitò inflammatur. Grave periculum est, ubi au-

rigo antè diem ſeptimum ſupervenit, illud enim ſignificat materiæ febrilis bileſcentis abundantiam, quâ utique per hepar ob ſpiſſitudinem & magnam copiam ſanguis liberare ſe non poteſt; remanet autem eâ ſummoperè inquinatus. Item ubi vigilia eſt continua aut delirium, aut ubi vox intercipitur, aut aures obſurdeſcunt; aut accedunt convulſiones; hæc enim vaſa cerebri plurimùm ingurgitari ſignificant. Periculoſius adhuc eſt ſi vigiliis continuis ſopor altus ſubitò accedat; illum enim obruta ſanguine vaſa cerebri indicat. Periculo gravi etiàm tentatur æger, cùm accedit ſingultus, is enim orificii ſuperioris ventriculi imò & portionis diaphragmatis inflammationem non modò denotat, verùm & acrimoniam ſummam materiæ bileſcentis præſentis in ventriculo, quâ ducitur in gangrænam imò & in ſphacelum alicubi.

Febris ardentis primariæ & humoralis curatio in eo ſimilis eſt curationi putridarum, ut materia febrilis evacuanda ſit, ac inflammationes viſcerum ſint præcavendæ; verùm illud ei proprium eſt, ut æſtus ſummus ſit

temperandus, ſanguinis ſeri abſumptio reſarcienda ſit, acrimonia ſit mitiganda, ac materiei bileſcentis effectus in primis viis ſint frænandi.

Quapropter imperanda ocyùs humectans diæta & refrigerans. Æger nimirùm nutriendus eſt juſculis paratis ex carne ovillâ, vitulinâ, agninâ, caprillâ pullis junioribus; imò ad magis temperandum oryzæ cremoris cochlear unum aut duo ſingulis juſculi doſibus admiſcenda; vel oryzæ cochlear unum aut duo aut tria cum carne decoqui debent, quò dealbentur juſcula; aut cum carne decoqui debent herbæ refrigerantes, ut portulaca, lactuca, endivia, acetoſa, cucurbitæ fruſta. Potus ordinarius erit aqua oryzæ aut ptiſana ex unciâ ſeminum quatuor frigidorum majorum in aquæ fontanæ libris tribus contritorum paratâ, aut decoctum fructuum kinorrodonis, aut aquâ leviter nitrosâ ex ſcrupulis duobus nitri in aquæ fontanæ libris tribus ſoluti paratâ; aut ptiſanæ paratæ ex memoratis plantis refrigerantibus, imò & radice nymphеæ ejus floribus, & ſimilibus; imò ſi æſtus & rarefactio ſanguinis ſint in

magno gradu, aut si materia bilescens plurimùm primas vias excalefaciat ac irritet, ad acida sive vegetabilia sive mineralia erit confugiendum; quare æger tunc potabitur aquâ fontanâ cui limoniorum succus fuerit commixtus cum pauco saccharo aut sine saccharō, aut agresta, aut sirupus granatorum, oxyacanthæ, & sirupi similes ad gratam aciditatem; imò tunc addentur aut aquæ fontanæ aut plantæ alicujus ex prædictis refrigerantis decocti seu ptisanæ cyathis aliquibus spiritus sulfuris aut aquâ temperatâ Basilii Valentini ad gratam aciditatem: Largo potu utetur semper æger.

Jàm verò & initio & per morbi decursum viscera refrigeranda & humectanda sunt enematis paratis aut ex aquâ solà, aut ex decocto cucurbitæ vel lactucæ; imò si ultramodùm æstuent viscera, & urinæ sint flammeæ, ex oxycrato, ità aceti uncia aut unciæ duæ cum aquæ fontanæ librà mixtæ sint. Fovendum insimùl nonnunquàm abdomen, quandò nimis æstuat, oxycrato aut decocto cucurbitæ vel lactucæ sed paulò tepidis, tegendum nimirùm abdomen linteo simplici madido.

At

At insuper horis serotinis diebus singulis æger ulteriùs temperandus erit ac sedandus, quapropter præscribetur emulsio ex seminibus quatuor frigidis majoribus, addito interdùm papaveris albi semine, parata, cui addetur sirupus limoniorum, aut de agrestâ, aut de nympheâ ad drachmas sex aut unciam, cuique prætereà, si urgeat vigilia, addetur quoque sirupus papaveris albi ad eamdem dosim; is autem sirupus in eo casu anteponendus laudano cuique, quod laudanum eo sirupo magis calefaciat. Attamen si adeò urgeat vigilia aut delirium, ac necquicquam sirupus papaveris albi fuerit adhibitus, tunc equidem, adhibendum erit laudanum opiatum (non verò liquidum ob aromata quæ ejus ingrediuntur compositionem, nimisque calefacerent) sed additum semper in emulsione aut julepo refrigerante à grano uno ad grana duo imò ad tria & forsan ultrà si æger sedari aliter non possit. Cùm autem ventriculus materiâ bilescente admodùm turget, tunc præferendi sunt emulsionibus, quæ in stomacho corrumpi possent, julepi refrigerantes parati ex

aquis portulacæ, lactucæ, liliorum, plantaginis, rosarum, & similibus, sirupis jàm memoratis, quibus adduntur interdùm nitri depurati pulverati grana decem, duodecim, aut quindecim; his etiam adduntur sæpè narcotica prædicta & cum cautelis memoratis. Et ea sunt, quæ per totum Febris ardentis decursum agenda veniunt.

Jàm verò cùm liberanda sint vasa protinùs ab eâ distensione nimiâ quam parit in eâ Febre rarefactus admodùm sanguis, cùmque præ cavendæ sint inflammationes aut factæ discutiendæ, nullum autem ad id opus sanguinis missione potentius promptiusque sit auxilium, ideò incunctanter à morbi initio venæ sectio instituenda est, & quidem præsertîm initio sanguis liberaliter erit mittendus & per venæsectiones repetitas pro ægri viribus ætate & aliis circumstantiis, imò quoque per morbi decursum sanguis identidem mittendus erit, horis serotinis præprimis, quibus Febris exacerbare consuevit, aut alio quocumque tempore exacerbationis. At non tantùm è brachio mittendus erit sanguis aliquo-

ties, verùm & pluries è pede, quod eà ſanguinis rarefactio cerebro multùm moleſta eſſe conſueverit ac noxia, ideòque revellendum ſit. Sanguinis intereà miſſionis è pede revulſionis effectus cùm præmiſsâ è brachio ejus miſſione inſigniores exiſtant, ideò mittendus protinùs è cubito & aliquibus horis elapſis dein è talo; & ità deinceps in morbi decurſu mittetur ſanguis nunc è brachio nunc è pedè; & quidem è pede ſæpiùs, ſi morbi ferocia capiti potiſſimùm immineat, è brachio autem ſæpiùs ſi pectori.

Quoniam verò materia febrilis & primas vias & ſanguinem ipſum obſidet, eâ quidem ſed oportunè erit expurganda. Cui negotio ut plurimùm aptiora videntur cathartica emeticis, quòd hæc nimis irritent, in eo autem caſu ventriculus tenſus plurimùm & calidus eſſe ſoleat. Attamen ſi ſaburra bileſcens in ventriculo ſuæ præſentiæ inſignia præbeat indicia, ea utique per vomitorium eliminanda erit modò nihil contradicat; in quo caſu præferenda erit radix braſilienſis *Ipecacuanha* moderatâ doſi exhibita (ut ad quindecim aut viginti grana) emeticis ſti-

biatis, quòd hæc in abdominis viſceribus ardorem magis relinquant; quin & mitiganda ac frænanda erit interdùm aliquantùm doſis hæc ipecacuanhæ addendo unciam aut ſeſquiunciam mannæ ſolutæ in aquâ cui miſcetur ipecacuanhæ pulvis.

Sivè autem primum purgans adhibendum emeticum fuerit aut catharticum, præcedere ſemper debuere duæ tres imò interdùm quatuor ſanguinis miſſiones, potus largus ex prædictis aliquibus, enemata aliqua ex memoratis, emulſiones aut julepi refrigerantes, quò nimirùm temperetur ab eis omnibus ſanguinis æſtus ac rareſactio, depleantur vaſa nec tenſa ſint adeò, tùm materia bileſcens primarum viarum diluatur aliquantùm & mitigetur, eoque modo corpus ad purgationem felicem ſit præparatum. Præparato igitur Ægro per hæc (quod fit ut plurimùm intrà diem primum & ſecundum, vel ad majus tertium) tutò tunc emetica præſcribuntur aut cathartica. Cùm autem eveniat frequentiùs febrilem materiem in ventriculo non ità turgere, ut requiratur ...torium, ideò tertio aut ſatlèm

quarto morbi die catharticum erit præſcribendum. Verùm cathartica, quibus in eo caſu uti ſolemus, ſunt tamarindi, caſſia, manna, imò non numquàm ſenna verùm ſociata cum tamarindis aut limoniorum fruſtulis quibuſdam temperata. Ubi notare juvat catharticas potiones eſſe tunc parandas cum magnâ mole vehiculi, ad duos treſve cyathos, ne nimis irritent, ac excalefaciant; præctereà quòd materia bileſcens purganda valdè mobilis ſit, & ob ſuam acrimoniam, ipſamet facile fiat cathartica. Quarè his aut ſimilibus potionibus catharticis erit utendum.

Rec. *Tamarind. pingu. unc. unam, bull. cum ſ. q. aq. font. ad unc. duodecim, in quib. inf. ſennæ mundat. drach. unam, cola pro duab. doſib. in quarum primâ diſſol. mann. calabr. unc. duas, & in ſecundâ mann. calabr. unc. unam. f. p. pro duab. doſib. manè ſumend.* Vel.

Rec. *Senn. mundat. drach. duas vel tres, cum duob. aut tribus fruſtulis limonior. inf. calidè* (ſi vis major expetatur) *frigidè* (ſi vis minor cathartici requiratur) *in aq. font. librâ unâ, cola pro duab. doſib. in quarum primâ diſſol. mann. calabr. unc. unam. f. p. pro duab. doſib.*

Si autem purgandum mitiùs, & vis

fennæ irritans timeatur.

Rec. *Tamarind. pingu. unc. unam, fistularum cassia contritar. unc. unam & semi, flor. persicar. m. ß. bull. cum s. q. aq. font. per semihoram ad unc. duodecim, cola produab. dosibus in quarum primâ dissol. mann. calabr. unc. duas, & in secundâ mann. calabre unc. unam. f. p. pro duab. dosib.*

At si mitiùs adhuc purgandum, materiæ nimirùm biliosæ purgandæ sint facilè mobiles, acres, calidæ, deprehensæ dùm transeunt per podicem, æstuentque viscera, de cætero flatus abundent.

Rec. *Fistula. caß. contritar. unc. octo, bull. cum s. q. aq. font per semihoram cum salis ebsoniensis drach. unâ f. p. pro duab. dosibus intrà duas horas sumendis nullo interjecto jusculo.*

Vel si nulli fuerint flatus, in eodem casu.

Rec. *Pulp. caß. recenter extracta unc. duas, dilue in aq. font. vel in seri lactis unc. duodecim, cola calidè f. p. pro duab. dosib. similiter sumendis.*

Ubi notandum, quòd cùm exhibentur ejusmodi potiones leviter catharticæ, quò tamen catharsis sufficiens excitetur, nullum inter duos cyathos exhiberi debeat jusculum, secùs evacuatio segnis & parca sequitur.

Cùm autem per dosim unicam Æger erit purgandus.

Rec. *Tamarind. pingu. drach. sex, bull. cum s. q. aq. font. ad unc. octo, in quib. inf. senn. mundat. drach. unam & semi*, vel (si non adeò irritandum) *follicular. senn. drach. duas, flor. persicor. & violar. ana. m. ß. & in colatur. dissol. mann. calabr. unc. duas aut unc. duas & semi. f. p.* Vel si mitiùs purgandum.

Rec. *Tamarind. pingu. drach. sex, cum s. q. aq. font. & in colatur. unc sex dissol. mann. calabr. unc. duas & semi, aut uncias tres. f. p.* Vel.

Rec *Fistular. contritar. unc. quatuor, tamarind. pingu. drach. sex, bull. cum s. q. aq. font. & in colatur. unc. sex dissol. mann. calabr. unc. duas vel unc. duas & semi. f. p.* Vel.

Rec. *Mann. unc. duas, vel unc. duas & semi, dissol. in aq. font. unc. sex, & in colat. dilue pulp. cass. recenter extractæ unc. unam, f. p.*

At si vis cathartici aliquantùm erigenda sit, tunc in aliquâ ex prædictis potionibus catharticis solvitur tartari stibiati solubilis granum unum, aut grana duo, imò interdùm grana tria, pro necessitate magis purgandi. Si autem è contrà timeatur irritatio in intestinis, additur oleum amigdalarum dulcium ad unciam, vel uncias duas.

Jam verò die sequente purgationem sumet Æger (manè potissimùm) decocti tamarindorum duos tresve cyathos. Itàque.

Rec. *Tamarind. pingu. unciam unam & semi, aut unc. duas, bull. cum s. q. aq. font. ad libram unam aut libram unam & semi per horam circiter. f. decoctum pro usu.*

Et sanè ope hujus decocti servatur eâ die alvus libera sine æstus viscerum.

Vel alvus libera servabitur clysterum ope. Quarè aut injicietur clyster ex aquâ fontanâ cum duobus aut tribus olei olivarum cochlearibus, quo etiàm temperabuntur viscera; aut parabitur clyster ex decocto plantarum emollientium addito oleo, vel melle ad uncias duas, vel pulpâ cessiæ ad unciam unam aut uncias duas, si alvus sit magis laxanda. Vel ad eumdem scopum.

Rec. *Fistular. cass. contritar. unc. sex, flor. malu. M. ss. bull. cum s. q. aq. font. ad libr. unam. f. clyster injiciend. horâ congruâ.*

Sequenti iterùm die sumet æger potionem purgantem, & sic deinceps, modò nihil obstet, diebus alternis purgabitur.

Intereà enemata descripta diebus etiam purgationis interdùm injicienda erunt, vel ad temperandum, vel alvum ulteriùs laxandam pro necessitate; at emulsiones aut julepi serò sumentur; venæque sectiones pro re natâ instituentur, imò diebus sumpti cathartici si indicatio adfuerit, ac tunc horis vespertinis.



CAPUT OCTAVUM.

De Febre acutâ humorali symptomatica.

PERTRACTATÆ hactenùs Febres humorales continuæ essentiales & primariæ omnes sunt; jàm de Fabribus continuis humoralibus symptomaticis, acutis præprimis, nonnulla perstringere juvat.

Per eam Febrem intelligimus, *Febrem acutam quancumque quæ gravis alicujus inflammationis, viscerum præprimis, à fluidorum vitio excitatæ effectus est.* Ut est ea, quæ observatur in peripneumaniâ, in pleuritide, nephritide, hepatitide inflammatione

cerebri, meningum, inteſtinorum, uteri, veſicæ, magnis phlegmonibus ac eryſipelatibus externis, inflammationibus inſignibus arthriticis, ac ſimilibus morbis inflammatioriis gravibus, ſed à fluidorum vitio productis, non autem ſimpliciter ex villorum ſpaſmo.

Febris hæc in genere licet à nonnullis in inflammationem partis affectæ tantùm refundatur, proptereàque ex difficili ſanguinis per partem affectam tranſitu ab iis ſolummodò repetatur; certum tamen fit attentè examinanti ac ægros ejusmodi curanti eam quoquè à vitio univerſali fluidorum dependere, ſic ut profectò ſic materia aliqua inſpiſſans obſtinatè ſanguinem ſimulque agitans, ſecùs nec duraret adeò Febris hæc, nec diem decimum quartum aut vigeſimum primum extenderetur, ut obſervamus, nec ad eam oppugnandam purgantia felicitèr adhiberemus. Itàque eo nomine Febrem eam inter humorales reponimus; vocamus autem eam *ſymptomaticam*, quòd inflammationem non præceſſerit, imò potiùs datæ partis inflammatio evidentis videatur tunc præiviſſe; ſi enim in decurſu Febris

alicujus putridæ aut malignæ aut ardentis jàm ſenſibiliter ſtabilitæ obſervaremus inflammationem viſceris abſque cauſa aliâ ſuboriri, tunc ſanè inflammationem Febris primariæ & eſſetialis ſymptoma è contrà pronuntiaremus.

Quod autem materia adſit febrilis è primis viis pronata, quæ etiam earum Febrium cauſa fiat; illud exindè probatur: *Primò*, Quod inflammationes eas enaſci potiſſimùm obſervemus in corporibus, in queis jàm antecedens eſt pravus ſuccorum in primis viis opparatus, licet interdùm latens ſit. Sic idem homo pluries fuit expoſitus cauſæ externæ peripneumoniæ frigori nimirùm ſuſcepto vel ab acre vel ab aquâ gelidâ dùm æſtuabat corpus, nec tamen quicquàm ſuſcepit morbi; jàm aliâ vice his corripitur morbis, licet in eâdem corporis æſtuantis circumſtantiâ frigus tantùm non ſuſceperit corpore nimirùm priùs æſtuante; quod profectò niſi à corporis diſpoſitione præviâ repeti poteſt, nimirùm quòd ſuccos ſanguinem unà inſpiſſantes è pravis digeſtionibus antecedentibus pronatos, intereà laten-

tes, tunc in ſe geſſerit, quos, cùm aliis vicibus minimè affectus eſt, in ſe non habebat. *Secundò*, quòd in morbis ejuſmodi exacerbationes ſat periodicas obſervemus. *Tertio*, Quòd in memoratarum curatione peragendâ purgantibus nonnullis ſemper indigeamus.

Quæ cùm ità ſint ac experientiâ apud ægros comprobatâ, Febrem eam deducemus tùm ex difficili ſanguinis tranſitu ſubitaneo per vaſcula partis inflammatæ, tùm ex eo difficili per vaſcula quæquæ corporis arterioſa, ob ſpiſſitudinem nimirùm univerſalem pronatam, tùm ab aliquâ cauſâ externâ (hæc ſatis egerit) tùm, & præcipuè, à materia febrili è primis viis deinceps hauſtâ, aut etiam in ſanguine præparatâ, ut à lacte vel lochiis liberè non fluentibus, tùm deinceps (cùm acceſſit cauſa alia inflammationis) pronata primas deindè inquinante, ac digeſtiones lædente. Quibus etiam addendum, ex dolore, cùm is acutus in parte inflammatâ excitatur, concitari quoque eam Febrem ac foveri, commotis ſcilicet tenſiſque nimiùm ſiſtematis nervei villis, prout in capite ſequenti exponetur.

Nec

Nec refert animadvertere peripneumoniam aut pleuritidem ſimilem morbum inflammatorium excitari non numquàm à causâ aliquâ externâ (putà à frigore vehementi, dùm corpus æſtuat ſuſcepto) in nonnullis ſanitate optimâ fruentibus, in quibus nulla pravarum digeſtionum antecedentium aut excretionum imminutarum fuerat ſuſpicio. Ut, ut enim non negemus à causâ violentâ ſolâ ſanguinem etiam ſaniſſimum eòuſque inſpiſſari poſſe, ut pars exindè tantùm poſſit inflammari, excitarique peripneumonia aut pleuritis, v. g. proindèque Febris; juxtà tamen experientiam conſtantem aſſerimus materiam febrilem ex tali inſpiſſatione motuque febrili pronaſci in primis viis; quòd nimirùm inſpiſſati ſucci digeſtivi iique pravi è ſanguine febriente eis ſuppeditentur, à quibus deinceps læduntur digeſtiones, fitque materiæ febrilis proventus, illud apertè demonſtrante neceſſitate ſemper aliquâ purgantium in eâ curatione abſolvendâ in eis etiam corporibus, in quibus antè peripneumoniam aut pleuritidem ſimilemve morbum inflammatorium

nullæ pravæ extiterant digeſtiones, excretioneſque cunctæ optimè ſe habebant. Quæ ad praxim ritè exercendam ſanè animo cautè ſunt reputanda. Undè Febres hæ acutæ ſymptomaticæ ad putridas abſolutè referri poſſunt, quæ juxtà varias circumſtantias Febrium ardentium vel malignarum genium etiam induere valent.

Quod autem in his Febribus ſpectat ad pulsûs indolem, eâ ſanè in eis non eadem eſt. Sic in peripneumoniâ magnus eſt nec durus, in pleuritide non adeo magnus, ſed tenſus, durus, correptus, in inflammatione inteſtinorum ſæpè parvus, debilis, inæqualis (& Febris tunc dicitur *Lypiria*). Sed non ſemper ità eſt & ſic de aliis. Verùm in ejuſmodi Febribus differentias eas pulſuum ratione partium inflammatione affectarum & ratione indolis ipſius inflammationis profluentes in eò tractatu explicare non ſuſcipimus; cùm ea theoria ad hiſtoriæ morborum tractatus alios attineat, ut & quidcumque ad praxim circà memoratos morbos inflammatorios proindèque Febrim pediſequam ſpectat. Quare non interrupto ſermone de Febribu

ad aliam earum ſpeciem tranſeundum.



CAPUT NONUM.

De Febre non humorali.

PER eam Febrem intelligimus, *Febrem quamvis, quæ exiſtit ſine materiâ febrili.* Ut eſt Febris quæ ſupperationi ingruenti ac fienti, in parte potiſſimùm valdè inflammatâ aut valdè ſenſibili, quæ panaritio, quæ puncto tendini aut magno nervo, quæ partibus membraneis aut ligamentoſis acutè dolentibus, quæ inflammationi cuicumque à causâ釋 externâ potiſſimùm productæ, nullo prægreſſo aut ſubſequente in ſanguinis particularum miſcelâ, notabili vitio, ſed tantùm ipſius rarefactione, ac ſimilibus caſibus ſæpè numero ſupervenit.

Febres hæ omnes ſymptomaticæ ſunt, nec exacerbant periodicè, nec digeſtionum læſarum ſigna ex propriâ eſſentiâ exhibent; nec indigent purgantibus, iis autem potius exaſperantur; quare ſunt ſine materiâ febrili, proin-

de *non humorales*. Hæ tamen mutantur interdum in humorales, prout infra declarabitur.

Hujus itaquè Febris causa continens cùm in fluidâ nequaquàm refundi possit, in solidis tantum quærenda, eaque est commotio generalis, nimia tensioque villorum, nerveorum præ primis, ex quibus cordis, arteriarum, venarumque vires unà nimis augentur. Quæ sanè causa exim demonstratur, quod simpliciter emendato vitio locali, ex quo tensio illa nimia & commotio in villorum systemate suscitabantur, cesset illicò Febris, nisi ex ejus aliquâ duratione, aut propter dispositiones latentes inferius declarandas vitiatis fluidis ac digestionibus, Febris hæc in Febrem humoralem fuerit mutata. Ita resectis tendine aut nervo punctis cessat Febris ab eorum puncturâ, excitata: ita facto purè, ita aperto ac liberato à sanie panaritio, ita sedatis inflammationibus prædictis aut doloribus, Febrem eam desinere observamus.

Quæ cum ita sint, & in omnibus his casibus pars aliqua plurimùm semper doleat, & admodùm tensa

ſit ; ex his autem doloribus, non ſolum villos nerveos partis affectæ, verùm etiàm totum ſyſtema nerveum ac cerebri ſubſtantiam albam nimium tendi ex omnibus phœnomenis vigiliæ, delirii, anxietatis, convulſionis, aliiſque in eis caſibus obſervandis admoneamur ; hinc nimium commoveri totum ſyſtema nerveum, fluidum nerveum fluere ubique celerius præſertim ad cor & arterias, (quòd viæ nervorum ad eas partes ex continuo motu alternato magis tritæ ſint) idque liberaliùs in cerebro ſecerni. (Imminutâ nimirùm reſiſtentiâ ad fluxum per nerveum ſyſtema) neceſſariò conſequatur ; patet vim cordis Vaſorumque ſanguineorum imò villorum quorumvis contractilium fore adaugendam. Quare contractiones cordis vehementiores erunt, nimirùm magis abſolutæ & breviori tempore peractæ, ergo ſingulis contractionibus cordis arteriæ, ac Venæ plus ſanguinis quàm antea ſuſcipient & celeriùs ; ergo arteriarum, Venarumque dilatationes fient extenſæ magis ac promptiores. Cùm autem ſanguiferorum ut vidimus, vires ſint etiam adauctæ, ea

contrahentur magis & celeriùs invitâ quâque resistentià ex parte sanguinis uberiùs è corde influxi; cordis igitur ventriculi sanguinis plus suscipient ac celeriùs, ergò magis dilatabuntur ac celeriùs, tùm vehementiùs, ut jàm dictum est, ac celeriùs contrahentur, & sic deinceps, undè pulsus erit magnus & frequens. Quoniam autem prædictâ ex parte solidorum, cavorum, sanguineorum, fieri non possint, quin celerior subsequatur sanguinis fluxus majorque agitatio adeòque rarefactio, tùm sanguis ille rarefactus ac æstuans vasis minimis molestus fiat ea nimis tendens calefaciens ac velut aggravans, ac per nonnulla difficilè micet, utcumque vehementer ad transfluxum urgeatur, patet hinc Lædendas fore secretiones, actionesque alias plurimas, ergo ex his læsis notabiliter cum pulsu prædicto Febris ponetur.

Verùm ut cordis & sanguiferorum viribus adauctis, sanguis ad celeriorem cursum majoremque agitationem intestinam compulsus est, ità & sanguis ille æstuans & rarefactus in cavorum quorumcumque, in quibus coërcetur, parietes magis nititur; eosque

magis tendit, undè systematis sanguiferi adaugentur vires sanguini iterùm imprimendæ potentiùs, & sic reciprocè; undè incepta Febris eâ de causa intenditur; quamobrem ex motibus illis solidorum & fluidorum ità vehementibus, affrictuque eorum vehementi excitatur ingens in corpore calor; adeòque Febris hæc ardentis indolem sapere videtur, undè tunc *ardens symptomatica* vocari poterit,

Jàm verò ex rarefactione illâ æstuosâ sanguinis ac villorum quorumvis tensione magnâ ac commotione explicantur facilè anxietas universalis, dolor capitis, vigilia, delirium, motus inordinati & spasmodici, convulsiones, sitis, urinæ rubræ, alui supressio, & reliqua, quæ in eâ Febre offerri possunt, simptomata; ex quibus Febris hujus genius ac descriptio patent. In quâ sanè descriptione notandum etiam pulsum in eâ Febre inter dum non eumdem esse, eumque mutari quin & interdùm velut suspendi, fierique pulsum nunc intercadentem, nunc ægros animo linquere; præthereà Febrem hanc anomalè sæpè intendi ac remittere, tùm horrores in-

terdùm eam antecedere, aut in morbi decursu irregulariter excitari. Quæ sanè mutationes in pulsu & anomaliæ in eâ Febre observabiles ex diversis mutatisque contractionibus, ac interdùm spasmis nunc cordis, nunc arteriarum magnarum, nunc arteriarum minimarum, nunc Venarum insignium & sinuum venosorum, nunc venarum pulmonarium, simulque sacci pulmonaris & auriculæ cordis sinistræ proficiscuntur. His ergo omnibus attentè in animo reputatis unusquisque facilè explicabit, cur in eâ Febre pulsus interdùm fiat parvus; cur tensus interdùm aut durus, aut inæqualis, imò pro tempore brevi suspendatur, fiatque intermittens, aut etiam intercadens, aut etiam tempore notabili velut sistatur, fiatve tremulus, undè status sincopes vel Lypothymiæ. Ubi notandum animi ea deliquia pendere semper aut à spasmo notabili & perseverante, aut Ventriculorum cordis, aut ejus auricularum, aut venarum pulmonarium, aut arteriarum magnarum, imò & à spasmo arteriarum minimarum, sed universali aut quasi universali; sequetur enim ex eis

ſtatibus imminutio ſumma aut velut ceſſatio actionis illius reciprocæ, quæ inter cor & reliquum univerſum ſyſtema ſanguiferorum intercedere debet, quò ſanguinis circulatio exerceri poſſit; Undè in eis ſtatibus fermè concidet ſanguinis periodus ac ſubſequentur conſectaria circulationis debiliſſimæ, hoc eſt phœnomena deliquiorum animi in vario gradu. Ergo corpus ex æſtuante fiet interdum frigidum magis aut minùs præcipuè in extremis ac facies palleſcet, vel etiam in eis ſtatibus ad ſummum evectis concidet abſolutè ſanguinis circulatio, ægerque ità morietur.

Cur autem mutentur ità cordis concractiones reliquique ſyſtematis nervei in memoratis anteà variis portionibus, illud ſanè deducitur ex ſucceſſionibus variis & mutatis diverſimodè imò interdùm intenſiſſimis factis villorum nerveorum in parte dolente aut irritatâ; quarum quidem ratione fluidum nerveum ità diverſimodè & nunc vehementiùs, nunc non vehementer adeò in cor aut reliquum ſyſtema ſanguiferum ipſiuſve portiones influit, prout ex motuum ſym-

pathicorum præſertimque ſpaſmodæorum obſervationibus habemus; quæ omnia mira iis non videntur; qui morbis nervorum laborantes pluries viderunt, innumeraque ſyſtematis nervei morbis illi propriis affecti, obſervarunt phænomena.

Eò quòd autem mutantur ità ſuccuſſiones ac tenſiones villorum nerveorum in partibus dolentibus & irritatis, eæque nunc vehementiores ſunt, nunc minùs vehementes, ut tamen ſæpiùs non ſint in ſummo gradu, ex quo cordis aut reliqui ſyſtematis ſanguinei ſequantur ſpaſmi, fit exim ut Febris hæc non nunquam nunc exacerbet, nunc remittat, ſed irregulariter & abſque Typo, ob anomalias illas vibrationum ac tenſionum villorum nerveorum in partibus irritatis aut divulſis; ea tamen Febris continua ſemper eſt, duratque quandiù perſeverat in parte affectâ cauſa dolorifica ſtamina nervea irritans aut divellens.

Horrores autem, qui ingruente eâ Febre perſentiuntur, quive in ejus decurſu obſervantur irregulariter, ii non fluido ulli inſpiſſanti (de eſt enim

materia Febrilis nec ægri frigidi ab adſtantibus ſenciuntur) impurandi ; verùm ſuccuſſionum nervorum in cute aut ſubjectis muſculis ſympathicè excitatarum quoquè ſunt effectus , ità ut in eis villi nervei perindè ac à corpuſculis frigorificis commoveantur , quapropter in eâ Febre frigoris ſenſus , eſt falſus ſenſus. Sed ea omnia in diſſertatione *de ſupperatione* pag. 6. & 7. Edit. 2. Febrem ſupperatoriam acutam explicando fuſius pertractavi. Ubi moneo Febrem eam ſuppuratoriam , de quâ jam agimus , eam eſſe Febrem vehementem & acutam , quæ ingruenti ſuppurationi vehementi & impetuoſæ , aut partis inflammatæ vehementer vel in magna extenſione , aut partis ratione proprii textûs valdè ſenſibilis (ut juxta articulos) ſupervenit ; quæ Febris ab eà profectò diverſa eſt , quæ ex parvâ lentâ & clandeſtinâ ſuppuratione originem ducit , quæ ſanè eſt febricula , ut ab eâ quæ ex pure tacto & ſanguini remixto oritur , quæ eſt Febris lenta ſymptomatica , de quâ deinceps agetur.

Licet autem Febres hæ *non humorales* ſine materiâ febrili exiſtant , ea

tamen materia ex eis nonnumquam pronaſcitur, mutanturque tunc Febres hæ in *humorales*; ex rarefactione ſi quidem ſanguinis æſtuosâ diſſipatur ejus ſerum, ſuccuſque gaſtricus ſuppeditatur ventriculo ſpiſſus & acer, præterea à ſanguine eo æſtuoſo tenditur nimis & incaleſcit ventriculus, qui etiam ex ſyſtematis nervei tenſione nimiâ, nimis ipſe tenſus eſt ac ſenſibilis, ex quibus mutationibus, ſi eæ fuerint inſignes, aut corpus male ſit diſpoſitum, digeſtiones pravæ fiunt, producunturque ſucci vitioſi ſpiſſi nimirùm & acres ſeu bileſcentes, qui maſſam ſanguineam inducunt in inſpiſſationem & rareſcentiam, Febremque excitant ac fovent, undè materia Febrilis tunc producta eſt, Febriſque facta humoralis. Hæc autem Febris mutatio in humoralem fit potiſſimum in corporis cachochymis, in eis qui ante hujus Febris invaſionem proximè ſe cibis aut liquoribus ardentibus ingurgitaverant; in eis qui metu percelluntur terrore aut triſtitiâ; in eis qui peccant in diætâ, vel & quoquè cùm Febris hæc non humoralis vehementiſſima eſt aut diù protrahitur

protrahitur, ita docentibus febrientibus vulneratis, aut magnam ſævamque operationem chirurgicam paſſis & ægris ſimilibus Febre non humorali ſymptomaticâ affectis; iis namque in Febris decurſu ſigna præbere ſolent digeſtionum læſarum, indeque laborare percipiuntur Febre putridâ, vel etiam nonnunquam Febre malignâ, quod cautè obſeruandum in praxi, Chirurgorumque de cætero in operatione peritiſſimorum labores ægro inutiles interdùm efficit, cùm deinceps infauſtus fiat ſucceſſus. Hinc fit ut inſigniter vulnerati febrientes utcumque Febre putridâ aut malignâ evidenter non corripiantur, non tantum diætâ tenui, ſed & aliquo indigeant cathartico ut Febris curetur, utque à Febre putridâ aut malignâ præſerventur.

Febris non humoralis cognoſcitur facilè, & ab aliâ quâcumque diſcernitur, ex præſentiâ nimirùm morbi alicujus localis dolorifici & irritatione inſigni aut divulſione ſtipati, ut eſt aliquis ex ſuprà memoratis, quos diximus producere Febrem hanc, ſimulque ſignorum abſentiâ digeſtionum

læſarum ac excretionum cohibitarum; cùm enim ea accedunt ſigna imprimiſque digeſtionum læſarum Febris hæc in *humoralem* tunc eſt mutata.

Febris *non humoralis* acuta numquam eſt ſine periculo, ab eâ enim in viſceribus excitari poſſunt inflammationes ob ſummam nimitùm ſanguinis rareſcentiam, aut etiam contractiones ſpaſmodæas vaſorum, quibus ſanguis æſtuans in eis cohiberi poteſt; aut etiam cohiberi poſſunt excernenda ut menſtrua, lochia, lac, urina, vel perturbari ſaltem (quod frequentius fit) digeſtiones, indeque Febris hæc mutari poteſt in putridam aut malignam. Periculoſior fiet Febris, ſi vehementior exciterur, indè enim inflammationes viſcerum magis metuendæ, tum & delirium, convulſiones, ſopor, & ſimilia inflammatis cerebro ac meningibus. Si in corpore cachocymo obſervetur, tunc enim in putridam aut malignam facilius mutari poterit. Si dolor eam excitans fuerit acerbiſſimus, indè enim non tantum delirium; agrypnia, convulſiones ſubſequi poterunt verùm & animi deliquia. Si corpus aſſiciat infantile aut ſenile, in

his namque corporibus vitale principium debile eſt , adeoque eâ Febre ſenes & infantes facilius occumbere poſſunt. Si ſuperveniat puerperæ aut cui fluunt menſtrua aut lactenti, ſupprimi namque poterunt lochia, menſtrua, lac cum ſubſequente ingenti damno, non tantum in utero aut mammis, ſed & in corpore univerſo, excitata nimirùm Febre putrida aut malignâ. Periculum quoque augebitur juxta gravitatem & naturam morbi doloſici, cujus Febris hæc eſt ſymptoma, & prout morbus is facilior aut difficilior erit ſublata.

At contra, ſi Febris hæc vehemens non ſit; ſi corpus de cætero ſanum ac bene valens juvenile aut in ætate conſiſtentiæ; ſi dolor non valde acutus; ſi neque lochia, neque menſtrua fluant, nec lactens ſit mulier; ſi morbus doloriſicus Febris hujus cauſa, nec gravis ſit, nec difficilis ablatu, profectò parvum erit periculum imò nonnumquam nullum; & cùm nullum erit periculum, tunc Febris hæc dici non poterit *acuta*, ſed tantum Febris *non humoralis ſimpliciter brevis*. Verùm de acutâ eâ Febre, in eo capite po-

tiſſimùm agimus. Itaquè his omnibus animo ritè penſitatis Medicus prognoſim inſtituet variam quoad periculum & exitum.

In curandis Febribus acutis non humoralibus reſpiciendum imprimis ad æſtum ſanguinis & rarefactionem, ad nervei ſyſtematis tenſionem nimiam, & ad cauſam irritantem & dolorificam, quæ eam exitat. Quamobrem imperanda protinùs diæta tenuis ac temperans, nutrietur nimirùm æger juſculis ex carne ovillâ & carnibus juniorum animalium paratis, nutrietur etiam cremoribus ex oryzâ, hordeo, avenâ, ſpeltâ, ſagou in aqua ſimplici per horas ſex coctis, iis autem dilutioribus. Potabitur ptiſanâ orizæ, aut hordei, aut cappillorum veneris, imò aquâ pulli ſi acrimonia urgeat, quin & ptiſanâ emulſionatâ ſi ſitis vehemens ſit, ſanguiniſque æſtus ac rarefactio exſterint in magno gradu, imò etiam ptiſanis addi poterunt acida ut limoniorum ſuccus, eorum ſirupus, ſirupus granatorum vel etiam guttæ aliquot ſpiritus ſulfuris, vitrioli, aut aquæ temperatæ Baſilii Valentini. Eaque diæta ſufficiet,

ſi Febris non fuerit gravis

Verùm ulterius quoque opitulandum erit, ſi Febris hæc gravis ſuſpicetur aut aliquandiù duratura. Itaque ſanguis illicò mittetur è brachio, vel etiam è pede, ſi cerebro immineat periculum, ſanguiniſque miſſiones magis aut minus iterabuntur pro vehementiâ Febris, ſymptomatum, diſpoſitione inflammatoriâ viſceris alicujus, ægrique uribus. Ad temperandum inſuper viſcerum abdominalium totiuſque ſanguinis æſtum injicienda erunt pluries enemata aqûea, refrigerantia, prout in Capite de Febre ardente dictum eſt. Inſimul refrigerandi ac temperandi cauſâ emulſiones præſertìm ſerò præſcribentur, quibus addentur ſirupi temperantes vel refrigerantes, imò addentur narcotica, ſi delirio aut agrypniâ vexetur æger, prout in eodem capite docuimus. Cùm autem dolorem partis irritatæ ſummum eſſe ac interdùm intolerabilem in eâ Febre contigerit, tunc profectò narcotica præſens erunt auxilium, & quidem doſi ſatis largâ uſurpanda, vel etiam pluries iteranda, nec tantum noctu, verùm etiam

interdiù ; cumque in eo caſu deſiderentur narcotica magnæ efficaciæ, ideò laudana erunt præſcribenda (ſolus enim ſirupus papaveris albi, vel capitum albi papaveris decoctum vix quicquàm proficerent) verùm ne nimis calefaciant, exhibenda erunt frequentius in emulſione aut in julepo refrigerante. Ex quibus petet Febris hujus therapeiam, à Febris ardentis therapeiâ non multum diſcrepare.

Ei autem ſingulare eſt, 1.° Quod parti affectæ irritatæ ac dolenti, cujus ſemper eſt ſymptoma, in auxilio ei ferendo multum ſit reſpiciendum, ſi enim ſedetur ea pars, imminuitur illicò, aut ceſſat penitùs ea Febris. 2°. Quod cathartica aut vomitoria Febrem eam exaſperent, iiſque proindè ſit abſtinendum. Itaquè ſi tendo punctus eſt inſtillandum puncturæ oleum therebinthinæ valdè calidum aut etiam interdùm tendo tranſverſim ſecandus. Si nervus punctus ſit calidum vini alkool huic puncturæ, inſtillabitur, imò ſi ſymptomata urgeant tranſverſim ſecabitur, auxiliaque cætera quæ punctis tendinibus aut nervis competunt, afferuntur. Si laboret

urethræ tuberculis mictum difficilem & dolorificum excitatâ enim Febre efficientibus, ſtilis plumbeis vel candelis huic uſui deſtinatis erit dilatanda ac tractanda; Febriſque ſedabitur. Et ſic de cæterís ſimilibus caſibus; ſed ea jam hujus non ſunt loci.

Jam verò ſi ingruens ſuppuratio cum acuto dolore in parte multum inflammatâ ac æſtuante, vel in parte nervis valdeconſità plurimumque ſenſibili, Febrem eam concitarit applicanda erunt ei parti anodyna fibras relaxantia, æſtumque fluidorum mitigantia; itaquè pars aut lacte vaccino erit fovenda, aut tegenda cataplaſmate ex lacte & panis albi medullâ confecto, aut pulpâ radicis altheæ, aliarumve plantarum emollientium, aut cataplaſmate ſeminis lini contuſi florum malvæ, verbaſci & ſimilibus, imò in uſum advocanda erunt cataplaſmata ſtupefacientia quæ fiunt ex pulpis foliorum hioſciami, mandragoræ, ſolanis ſive lacte vaccino imbutis; at his ſtupefacientibus non utimur, niſi quando dolor acerbiſſimus eſt. Utendum quoque erit in genere ejuſce indolis topicis, cùm pars nimium dolebit ſive

inflammatio insignis eam molestet, sive inflammatio ejus non sit evidens; relaxandi namque omni operâ in parte primariò affectâ, villi nervei, mitigandaque fluidorum ferocia ne ultra modum commoveantur, trahanturque in consensum totum systema nerveum; sæviatque Febris. Quas etiam ob causas prædicta topica imponentur panaritio idque quantocyùs, nec expectatâ absolutâ suppuratione id scalpello aperietur, quò periostæum à sanie rodente & à dolore sævissimo citò liberetur. Usum autem purgantium quod spectat, ea sane non indicantur in eâ Febre cùm careant materiâ Febrili, quin & directè nociva forent, Febremque adaugerent commovendo ulterius ventriculi & intestinorum villos nerveos, tum & suis particulis sanguinem nimis agitando. At cùm Febris hæc in putridam mutari incipit, cathartica incunctanter auxilio esse debent, ut præcaveatur Febris putrida aut maligna, hinc vulnerati aut sævas Chirurgias perpessi, aliive qui Febrem non humoralem aliquandiù sunt experti post tempus aliquod, purgari solent; sed catharticis mitibus aut mediocribus

in aquæ magnâ quantitate exhibitis.



CAPUT DECIMUM.

De Febre hecticâ.

ENarratæ hactenùs Febres aut acutæ ſunt aut breves ſimpliciter, ſed omnes continuæ. Pertractandæ jam veniunt continuæ, quæ diu durant, nec multum ſæviunt, lentoque greſſu incedere videntur, quæquæ lentæ propterea dictæ ſunt, & ſemper ultra diem quadrageſimum extenduntur, niſi inopinati aliquod ſupervenerit, quod ægrum interimat. Febris lenta, vel eſſentialis eſt vel ſymptomatica. Prior nuncupatur *hectica* de quâ in eo capite agemus. Et definitur *ea Febris lenta, quæ ab univerſalis maſſæ fluidorum, digeſtionumque errore, minimè verò à vitio alicujus partis determinatæ (ſi obſtructionem aliquam viſcerum excipias interdum; ſed non eſſentialiter præſentem) dependet.*

In eâ Febre pulſus frequens eſt, celer, aliquantum inæqualis, parvus, ſæpe debilis. Exacerbationes nunc ob-

ſervantur, nunc neutiquam præſertim morbi initio quo tempore pulſus Febrilis tactu à nonnullis Medicis vix diſcernitur. Vix ægrotare videtur homo, nec grave incommodum pati, nec caput laborat; corpus tamen ab alimentis ſumptis ſæpius magis febrire videtur, nec ab eis reficitur, ſed comſumitur paulatim atque liqueſcit, ipſumque tandem ſic imbecille fit, ut ægrè loco moveatur, & levi de cauſa præſertim à pravâ digeſtione accedant animi deliquia; tandemque ſi diu duret Febris hæc ſuccedit fœdus marcor & ſquallidus ſeu maraſmus & interdùm inflationes præſertim extremorum.

Cauſa hujus Febris conſtinens eſt nevro-lymphaticorum obſtructio (ita ut non-nulla eorum penitus obſtructa ſint, non-nulla partim, nec ulla libera omninò exiſtant) à lymphâ nimirum nutritiâ fluiditate homogeneâ exutâ in quâ nimirùm particulæ craſſiores fluitant, dum aliæ nimis ſolutæ ſunt.

In eâ nimirùm Febre ita ſe habet ſanguis, ut particulæ rubræ quoad majorem partem aliquatenus exſolutæ ſint ab acrimoniâ, portio autem ejus

mucilaginosa quoquè soluta sit ab eâdem causâ, sed inæqualiter ; adeo ut particulæ illius nonnullæ ultra modum attenuatæ sint, nonnullæ crassiores existant, dùm universim in massâ sanguineâ acrimonia est evecta partesquæ duræ & mobiles nimirùm sui juris factæ sunt, nec temperatæ à viscidis uti decet, pauca namque inest hecticorum sanguini mucilago illa tenuis & homogena (quàm vulgus vocat balsamum sanguinis) quâ justa cohæsio præbetur omnibus partibus integrantibus sanguinis, justaque fluiditas. Quæ cùm ità se habere, demonstretur in praxi non tantum per symptomata sed & per curationis methodum hujusce Febris theoriam stabilire arduum non erit. Siquidem, 1°. Cùm lympha à libero in nevro-lymphatica ingressu arceatur, sequitur eam magnâ parte in sanguiferis remansuram, eamque lymphæ molem quæ à sanguine sequestratâ tardigradè per incilia nevro-lymphatica in venas sanguineas inducta fuisset, longè celerius in eas ut pote sanguinis fluentis abreptam revehendam fore, undè moles universalis fluidorum sub

ſanguinis ſpecie celeriùs ſolito ad cor revehetur, undè pulsûs frequentia Febrilis.

2°. Quoniam in maſſa ſanguineâ particulæ integrantes ob acrimoniam ſolventem parum inter ſe cohærent, adeòque levis eſt inter eas tenacitas & viſcoſitas, ſequitur ab agitatione inteſtinâ ſanguinem parum rareſcere, nec cordis ventriculos, nec arterias plurimùm dilatandas fore ac tendendas, undè pulſus parvus & debilis, qui ſimul celer erit, quod ventriculi cordis parum dilatari minimum inſumant temporis ad parvam ſeu parum extenſam reſtitutionem conficiendam, cùmque ſanguis aliundè minùs viſcoſus; minùs ad ſui expulſionem reſiſtat, cor celeriùs abſolvat ſyſtolem.

3°. Cùm ex ingreſſu lymphæ inſufficienti nevro-lymphatica ſatis non repleantur, partes non nutrientur, marceſcent eò magis, quò lympha quæ prædicta incilia eſt ingreſſa acris eſt nec mucilaginoſitate eâ præditâ quæ Fibris nevro-lymphaticorum ſatis agglutinari poſſit.

4°. Cùm nevro-lymphathica, nec ſatis nec debitè repleta ſint, fibræ autem

tem omnes corporis compositæ ex nevro-lymphaticis primariò exsurgant, consequitur fibrarum quarumvis robur infringendum fore, sivè quod alimoniæ defectu arescant nevro-lymphatica, sivè quod relaxentur interdùm à lymphà nutritiâ acri serosâ quæ ut pote tenuior nevro-lymphatica subiit dùm portio ejus mucilaginosa ut pote crassior ab ingressu in ea fuit exclusa. Cùm autem fibroso universali systemate debilitato sequatur necessario in omnibus functionibus debilitas, patet vires quascumque in Febre hecticâ exsolvendas fore ac proindè cordis vasorumque sanguiferorum, quare eâ etiam ratione pulsus ut ut frequens ac celer erit etiam debilis, adeòque sanguinis circulatio ut ut citatior erit quoque debilis, quare à levi causa ità retardari subito poterit ut accedat animi deliquium prout in Febre hecticâ fieri pluries observamus à levi animi pathemate, à parvo frigore suscepto, à pravis digestionibus ex quibus succi sanguinem aliquantùm inspissantes progenerantur, à motu corporis parum vehementi, à parvâ hæmorragiâ,

à ſanguinis miſſione ordinariâ & cauſis ſimilibus, quæ in corpore robuſto cordis motum nullatenùs aut vix infringerent. Quæ cùm ità ſint, in Febre hecticâ patet dari Febrem cùm imminutâ vi motrice ſanguinis, eoſque multùm errare & culpis gravibus & infinitis in praxi committendis fore abnoxios, qui vires cordis adauctas in omni Febre exiſtimant, indèque cauſam motricem incorpoream adſcititiam ut archæum Helmontii aut Cardimelech Dolæi aliamve quamcumque pro corde vehementiùs movendo admittunt & in auxilium invocant.

5°. Cùm functiones omnes debiliſcentur, digeſtiones fient quoque debiles, ex eiſque pronaſcetur chylus malè elaboratus, in ſuis particulis malè mixtus, nec temperatus & dulcis, quo prædicta ſanguinis diſcraſia ſovebitur ac proin etiam Febris lenta. Cùm autem chylus is plures in ſe advehat particulas ſpiſſas & inſufficienter ſolutas, is quidem invectus ſanguini, cum inpiſſabit eò faciliùs quò vires ſanguinis truſiles imbecillæ ſunt, undè à paſtu horrores, pulſus depreſſus, imò interdùm animi deli-

quia, quin & mors prout non ſemel obſervavi, cùm autem in eo chylo plures ſint particulæ acres nec à mucilaginoſis malè extenſis benè temperatæ, eæ quidem utpote mobiles ſoluta per circulationes aliquot concepta, ſanguinis ſpiſſitudine motum ſanguinis agitativum Febremque ipſam intendunt exorto æſtu aliquo, undè Febris exacerbatio à paſtu.

Eæ autem exacerbationes interdùm non obſervantur in principio Febris hecticæ, cum nimirum adhuc digeſtiones non valdè laborant; in progreſſu autem morbi fiunt magis ſenſibiles, præſertim cum ægri alimenta ſolidiora ſumpſere, quæ nimirum actione digeſtiva debili exſolvi ſatis non potuerunt chylo producto ſpiſſiore.

Cùm autem accedunt ſerò in hecticâ Febre exacerbationes, eæ pravorum ſuccorum in primis viis progenitorum, ut contingit in Febribus aliis exacerbantibus de quibus anteà egimus, effectus ſunt.

6°. Cùm autem ab hectica Febre utpotè lentè procedente ægri paulatim debilitentur ac marceſcant, de

cætero ſanguis parùm æſtuoſus vaſa multùm non dilatet, neque, exim doleat caput aut laboret nec etiam ulla pars, ægri in principio ſe vix affici exiſtimant, nec deinceps multùm pertimeſcunt, præſertim cùm ſatis ſæpè vigeat appetitus, quòd liquidum ſtomachale acrius ſit & ſatis famen excitet, quodque ab acrimonia, cito ſolvatur in ſanguine chylus & diſſipetur per diapnoen calor interim acer eos aliquantum divexat, & in cute talis & ſiccus deprehenditur, nimirùm ob fibrarum quarumvis ariditatem, tum ſanguinis & perſpirationis acrimoniam. Verum in exacerbationibus, in volis manuum & plantis pedum calor is intenſior deprehenditur ob denſitatem epidermidis, quâ diapnoe acrior è ſanguine magis ſolito æſtuante ubiquè ejecta uberius, in earum partium cute magis retinetur, & in finibus ductuum excretoriorum poriſque magis cohibetur. Inſimul genæ interdum rubent à ſanguine rarefacto, & in vaſis ſuperficiariis valdè & copioſis cutis teneræ earum ac tenſæ ſupra os malum cohibito.

7°. Licet autem ex his omnibus consequens sit cusumi corpus & ad Marasmum duci, intereà tamen procedente morbo aut ad ultimum evecto observatur interdum pedes inflari, manus, imo faciem; sed infrequentius. Id autem evenit, cum ex virium sanguinis trusivarum imbecillitate adaucta serum satis per diapnoen neque per urinas dissipatur, id enim tunc nimis remanet in sanguine. Interim, cum ob easdem vires imbecillas sanguis ab extremis corporis ad cor parum vegetè remeet, pulsu debili tunc obscuro & parum febreli facto, serum in lymphatica tegumentorum & cellulas adiposas uberius exprimitur, in eisque incilibus fluit tardigradè ob vires eorum pariter imbecillas, & congeritur nullâ factâ in eis elaboratione, undè inflationes ædematosæ, quæ sanè pluries contingunt in pedibus, (ob maximam eorum à corde distantiam indè imminuto appulsûs sanguinis vigore, redituque ad cor difficiliori) hinc in manibus & facie. Pronascuntur etiam aliâ de causa hæ inflationes, quando nimirum ex digestionum debilitate crudus adeò pro-

ducitur chylus, ut serosæ partes mucilaginosis, iisque crassis vix admixtæ sint, & plurimà parte liberæ velut supernatent, tunc enim producitur sanguis velut in cachecxia sero libero abundas particulisque crassis & indigestis fœtus, ædematibus producendis valdè pronus, imo hydropi.

1°. Febris hecticæ triplex distinguendus est gradus. In primo levis observatur febricula, quæ interdum ab omnibus non discernitur; vix consumitur corpus, viresque parum sunt imminutæ, nullæque aut vix observantur exacerbationes. Quod nimirum adhuc parum vitiata est sanguinis diathesis, nec digestiones multùm depravatæ. Non reficitur intereà corpus ab alimentis ut boni succi, quæ vix ægro prodesse videntur; & post passum aut leve exercitium pulsus fit frequentior, nec ut in sanitate integrâ ægri exercitia adeò alacriter peragunt, nec ferunt; protinùs autem anhelant, quæ sanè imminui vires aliquo modo denotant. In gradu 2°. Febris fit evidens; & accedunt exacerbationes, quòd digestiones notabiliter tunc sint depravatæ; subque exacerbationis fi-

nem corpus aut ſaltem pectus ſudore manat, quòd æſtus febrilis vi ſolvatur ſanguis ut & materia febrilis è primis viis ſuppeditata, plurimùmque ſeri lixivioſi ab eo acri ſanguine extricetur, producaturque uber materia ſudoris è poris & ductibus excretoriis cutis æſtu febrili prægreſſo valdè dilatatis affatim fluens. Ex his corpus evidenter conſumitur, incipit Maraſmus, dejiciuntur vires. In gradu 3°. Ità conſumitur corpus, ut fædus ſquallor illud occupet, Maraſmoque corripiatur, vires penitùs fractæ ſunt, adeò acer factus fuit ſanguis protractâ Febre tenuique mucilagine orbus, adeò depravatæ digeſtiones evaſerunt. Imò ſæpiùs accedit diarrhæa seroſa tùm ex depravatione & imbecillitate digeſtionum, cùm ex fluidorum acrimonia ſummâ, quâ æger citò ad ſummum virium prolapſum mortemque, ducitur. Vel ſi procraſtinetur diarrhæa hæc ſeroſa, interdùm ædemate occupantur pedes, deindè manus, & facies nonnumquàm, cùm ſummâ virium imbecillitate & languore corporis exitioſo, tuncque pulſus minùs febrilis fit; imò interdùm dici

non potest febrilis, sed obscurus est debilis vixque tactu deprehenditur præsertim ultimis vitæ diebus.

Febres hecticæ excitantur potissimùm à constitutione sanguinis cachecticâ, scorbuticâ, scrofulosâ. cancrosâ venereâ, à nunnullis venenis, à pharmacis potentioribus ut emeticis, catharticis, hydroticis, iisque potissimùm nimiùm repetitis; & tunc Febris hectica *primaria* est. Excitantur etiam interdùm ex Febribus malignis, putridis, diù protractis, aut malè judicatis, item ex Febre aliquâ intermittente quæ diù duraverit. Eaque hectica consectaria aliàs Febris *secundaria* existit.

Et 1° quidem non à quavis cachexia excitatur Febris hectica, sed ab eâ in quâ acrimonia evecta est, siquidem tunc in massa lymphaticâ mucilago tenuis deest quæ nevro-lymphatica satis subire possit nutrienda, ea autem à crassioribus partibus lymphaticis obstruuntur, quibus scatet cachecticorum sanguis; simulque particulæ acres valdè mobiles sanguinem exagitant.

2°. In scorbutico sanguine pluri-

mùm vitiato, nimirùm cùm pervenit ad ſummum cauſa ſcorbuti, particulæ lymphæ ſpiſſiores nec in mucilaginem tenuem & homogeneam extenſiles in ſero fluitant diſperſæ, in ſimul acrimonia abundat muriatica, ex quibus eadem eveniunt, ac ex ſanguine cachectico jàm deſcripto.

3°. In ſcrofuloſo ſanguine admodùm vitiato abundant particulæ lympathicæ, admodùm craſſæ, tùm & acres peculiaris indolis nec hactenùs à quoquam determinatæ, & valdè parca eſt mucilago tenuis & dulcis materia lymphæ nevro-lympathicorum, quare obſtruuntur nevro-lympathica à craſſis, & exagitatur ſanguis ab acribus.

4°. In ſanguine cancroſo, lympha multùm ſpiſſa eſt, parteſque luxuriant inſignis acrimoniæ & indolis corroſivæ, quare eadem etiam ſequentur, cùm ea conſtitutio ad ſummum abiit.

5°. In ſanguine ſyphilitico quam plurimæ particulæ lymphæ in grumulos duriſſimos ac exiguiſſimos vi virûs venerei abierunt, quibus obſtruuntur interdùm univerſim nevro-lympathica; ſimulque evehitur in ſan-

guine acrimonia quòd ita denſatis in grumulos duros partibus lymphæ mucilaginoſis, deficiat mucilago illa extenſilis, quæ involvat ac temperet particulas ſanguinis duras & activas, quæ proin nimis ſui juris factæ ſanguinem nimis acrem efficiunt. Undè ex his conditiones ad Febem hecticam, quandò multùm duraverit infectio ſyphilitica, præprimis ſi ex temperamento aut victûs ratione ſanguis ad acrimoniam valdè pronus extiterit.

6°. Venena nonnulla nimirùm de genere, corroſivorum febrem hecticam nonnumquàm excitant quatenus deleteriè ſanguinis mucilaginem ſolvunt in eoque conſtantem progenerant acrimoniam; ità ut depravatis deinceps digeſtionibus ac debilitatis chylus particulis craſſis ſimulque acribus à mucilagine extenſili ac dulci, quæ fuit à veneno deſtructa, non temperatis refertus producatur, ex quo enaſcitur ſanguis ſimilis indolis.

7°. Idem ferè judicium ferendum eſt de purgantibus & emeticis frequentiùs adhibitis, quibus ſanè mucilago tenuis ſanguinis evacuatur per glandulas ſtomachales & inteſtinales,

relictâ in ſanguine lymphæ velut fæce, ſimulque eo tùm ex his immodicis evacuationibus, tùm ex exagitatione quam in eo pariunt ejuſmodi pharmaca, acriore facto. Eâ ratione obſervamus incidere eos in Febrem hecticam, qui vel propter neceſſitatem vel ob medicantis imperitiam ac temeritatem, ut curenrur à Febribus malignis aut à putridis, pharmacis ejuſmodi atrociter divexati fuerunt. Eam culpam multoties committunt Agyrtæ ſuis arcanis vehementibus aliique imperiti, qui curato morbo quem tractaverant, ducunt deinceps miſeros per Febrem hecticam ad interitum.

Sed & ab hydroticorum vi nimiâ ut decoctorum lignorum & radicum câ vi pollentium, juſculorum viperarum, & ſimilium, Febris hectica non ſemel pronaſci viſa eſt; cùm ab his mucilago tenuis deſtruatur, abſumatur ſerum ſanguiſque fiat acrior & ſiccior, undè particulæ lymphæ deinceps craſſiores cum acrimonia generali, ac exim nevro-lymphaticorum obſtructio, & ſanguinis æſtus contumax vixque compeſcibilis.

8°. A malignis Febribus, aut etiam

putridis diù protractis, iisque malè judicatis, & à Febribus intermittentibus vetustis sanguinis mucilago tenuis consumitur, tùm vi morbi, tùm actione pharmacorum adhibitorum ac præsertim catharticorum iteratâ, imò diæta tenui diutiùs protractâ, aut diæta malè idemtidem observatâ, sanguisque fit acer & sanè cum præsentia in eo particularum crassarum & malè digestarum ob vitiatas in his febribus continuò digestiones, ex quibus omnibus nevrolympathicorum obstructio pronascitur unà cum exagitatione intestinâ sanguinis nimiâ, quod ponit conditiones Febris hecticæ.

9°. In casu obstructionum, in visceribus præsertim abdominis conceptarum frequenter satis excitantur hecticæ, quod non fit nisi reliquæ, à quâ productæ fuerunt obstructiones, pravæ sanguinis diathesi conjungatur acrimonia; tuncque is casus similis ei est in quo ex sanguine cachectico excitatur hectica. Undè eodem modo explicatur, qui hectica ictero interdùm conjungitur, ut & sæpè hydropi sive abdominis, sive pectoris, item hydropi

dropi universali, ac innumeris morbis chronicis.

Ex antè traditis satis cognosci poterit Febris hectica, imo & in quovis gradu, ità ut diagnosticon hîc repetere necessum minimè sit. A quâ causa fuerit procurata Febris hæc, patebit per signa earum causarum propria, ut luis cancrosæ, strumosæ, venereæ, scorbuticæ, cachexiæ, obstructionum viscerum; item per relata & quæsita circà Febres acutas vel intermittentes; quæ processerunt, aut pharmaca potentia vel nimis repetita aut venena, quæ antè morbi hujus ingressum ægro fuerunt exhibita. Itaque etiam ex his Medicus pronuntiare poterit, an hectica primaria sit, an secundaria, juxtà ea quæ retulimus.

Quod vero ad prognosim spectat, utcumque in genere Febris hæc valdè periculosa sit, & invitis etiam optimis auxiliis ægros miserè consumere soleat, certum tamen est ad prognosim ferendam distinguendum esse Febris gradum, indolique causarum esse attendendum. Gradùs enim ratione Febris hæc in primo gradu sæpè curatur; in secundo gradu pe-

riculoſiſſima eſt & raro domatur ; in tertio ubi Maraſmus eſt confirmatus nunquàm curatur. Cauſarum autem ratione, cùm à viru cancroſo ſanguini eſſentialiter inuſto dependet hectica, utcumque nullus adſit cancer (prout obſervamus, cùm reſecto penitùs cancro, nihiloſeciùs invadit interdùm Febris lenta, ità ut ad mortem ducantur ab eâ cancro nullatenùs reſuſcitato & cicatrice manente integrâ) vix umquàm curatur, etiam ſi ipſi in primo gradu exiſtenti feratur auxilium. Cùm virus ſcrofuloſum cauſa eſt, nunquàm ſanatur hectica in ſecundo gradu confirmata, quæ tunc eſt Maraſmodes, aliquoties autem inprimo gradu, imo in principio ſecundi, prout obſervavi. Cùm cauſa ſyphilitica eſt, pluries curatur hectica, quàm cum eſt ſcrofuloſa, ob ſpecificum cognitum, ſanaturque potiſſimum in primo gradu, deindè cum eſt in principio ſecundi, at cum eſt Maraſmodes, hoc eſt confirmata in ſecundo gradu, non curatur ; interim hectica ſyphilitica pluries non curatur in primo gradu. Hectica ſcorbutica difficilè ſanatur in primo gra-

du , aliquoties in ſecundi gradûs initio ſanatur , ſed rarius in reliquis ſtatibus inſanabilis eſt.

Jàm verò cùm Febris hectica à conſtitutione ſanguinis cachecticâ dependet , ſive cachexiâ cum obſtructionibus viſcerum evidentibus conjuncta ſit ſive neutiquàm , tunc prognoſis de ea ferenda juxtà indolem cachexiæ cognitæ , imò juxtà plures alias circumſtantias ut ætatem & alias quas Medicus ſedulò perpendere debet.

In genere tales Febres hecticæ in primo gradu haud difficilè ſanantur ; ſed gradus is cùm à pluribus non cognoſcatur , aut æger ſatis adhuc pollens viribus graveque nullum patiens incommodum opem non poſtulet , ideo ſæpius ei non medetur , graduſque accedit ſecundus in quo expetuntur ut plurimùm auxilia , at dubia tunc fiunt & incerti eventûs. Idem fermè judicium ferendum eædemque inſtituendæ veniunt in ſtatuendâ prognoſi conſiderationes cùm à pharmacis aut venenis aut diæta tenviori nimiumque protractâ æger in hecticam lapſus eſt;ut & cùm Febrium aliarum, quæ præceſſere, hecticæ effectus exiſtit.

In curandâ Febre hecticâ causam statim respiciendum est. Quamobrem si ea pendeat à viru venereo, id erit utique debellandum remedio specifico hoc est unctionibus mercurialibus methodicè administratis. At statim perpendere interest, an iis æger tuto exponi possit, si enim hectica multum progressa sit, viresque fractæ admodum, tabesque ægrum occupet, is profecto relinquendus, ne acceleretur mors in medici opprobrium. At si æger viribus adhuc polleat, febrisque sit in primo gradu, is quidem attingendus, sed frictiones leves & cum maximâ cautela instituentur, quod prudentiæ Medici in ejusmodi tractationibus experti relinquitur. Verùm ea curatio non est ejus loci, ut & neque hecticarum quæ à viru dependent scrofuloso, scorbutico, cancroso, cùm præter universalia competant eis quoque remedia peculiaria non equidem adeo specifica. Quapropter hecticarum, quæ à viru nullo fuerunt, procuratæ, subjungenda tantùm curatio: Et 1°. quidem illius quæ fit à cachexia, quæ frequentior est.

Itaque eam supponendo in primo

gradu vel etiam in ſecundo , indicationes ſunt digeſtiones emendate indicidere levi vi fluidorum partes , quæ craſſiores evaſcerunt , acrimoniam expellere per vias urinarias ſub forma lixivii , eamque demulcere. Imperanda itaque diæta levis non tamen tenuis ut in Febribus acutis , cùm exim, cùm morbus diù ſit duraturus , corpus marceſceret ulteriùs , frangerentur vires , ſanguis acrior fieret , Febriſque hectica ingraveſceret citiùs. Undè inedia hecticis adeo inimica , indigent namque reparatione partes ſolidæ quo nevro-lymphaticorum cavitas ampliari poſſit , ſecùs areſcerent ea vaſcula intercluſo omni commeatu nutritio , corpuſque occuparet fædus Maraſmus neceſſario lethalis. Ex his ergo conſtanter obſervatis ſit ut pejus eſſet hecticis parciori quàm paulo ampliori alimonia uti Hippocrates & Medici omnes agnoſcant. Non ergo reducetur ad juſcula hecticâ laborans ut acutâ febre vexatus , utcumque alimenta in eo ritè non digerantur ; veſcetur autem oſſis , panatellis , ovis ſorbilibus , & interdùm carne aliquâ facilis digeſtionis , imo nonnulli pæ-

sertim senes chocolatâ uti poterunt horis matutinis, nec nisi in exacerbationibus juscula sumet, vel cremores, vel gelatinas. Potabitur aqua simplici, aut aqua cui infusum fuerit panis tosti frustum, aut decocti graminis vel scolopendrii si obstructa fuerint abdominis viscera, vel fructuum Kinorrodonis decocto si viscera calida fuerint aut lingua calida & rubra. Tùm vero imperatâ diæta purgabitur æger levibus catharticis ut tamarindis, cassia floribus persicorum, radice polypodii, rhabarboro, manna, non autem validis ne iis nimis exsiccetur æger, vene sanguis ad æstum incitetur fiatque acrior, præsertim quod exindè pulmo tussi torqueri posset imo alterari per hæmoptysim aut suppurationem, illud enim viscus laborat sæpè à febre hecticâ, quod acrimonia sanguinis in illud potissimum sævire soleat.

Itàque.

Rec. *Rh. el. drach. unam, flor. persic. manipul. semi. infu. in s.q. aq. font. & in colatur. unciis sex dissol. mann. calabr. unc. duas & semi. f. p. mane sumend. cum regimine.*

Vel si calor notabilior extiterit.

Rec. *Tamarind. ping. drach. sex, bull. in s. q. aq. font. ad unc. sex vel unc. octo, in quib. infu. rh. el. drach. unam, flor. persicor. manipul. semi, & in colatura dissol. mann. calabr. unc. duas. f. p. mane sumend.*

Vel, si æstus magis urgeat, pulmone laboret siccitate, tussi, calore molesto.

Rec. *Tamarind. ping. drach. sex, pulp. cass. recenter extractæ unc. unam, flor. persicor. & flor. violar. ana pugill. unum, bull. per semihoram in s. q. aq. font. & in colatur. unc. sex vel unc. octo dissol. mann. calabr. unc. duas vel unc. duas & semi f. p. mane sumend.*

Vel dabitur potio similis sub duplici dosi.

Rec. *Tamarind. pingu. unc. unam, fistul. cass. contritar. unc. sex, flor. persic. & violar. ana manipul. semi, bull. cum s. q. aq. font. ad lib. unam, cola pro duab. dosib. in quarum primâ dissol. mann. calabr. unc. unam & semi aut unc. duas, & in secunda mann. calabr. unc. unam. f. p. pro duplici dosi.*

At si adsit constitutio cachectica.

Rec. *Polypod. quercin. drach. sex, bull. in s. q. aq. font. ad unc. sex, in quibus infu. rh. el. drach. unam, flor. persicor. manipul. semi, & in colatura dissol. manu. calabr. unc. duas & semi aut unc. tres, vel manu. calabr. unc. duas, sirup. rosar. pallidar. unc. unam f. p. mane sumend.*

Interim tamen si pulmo ab hecticâ non laboret, nec tussiat æger, in ambitu autem corporis inflationes ædematosæ appareant, potioni purganti senna addi potest, sed parvâ dosi ac violarum aut malvæ floribus temperata.

Itàque.

Rec. *Senn. mundat. drach. unam & semi, rh. el. drach. unam, flor. violar. aut flor. malvæ manipul. semi, inf. in s. q. aq. font. vel decocti cichorii amari ad unc. sex, vel unc. octo, & in colatura dissol. mann. calabr. unc. duas, vel mann. calabr. unc. unam & semi, sirup. rosar. solutivi unc. unam. f. p. mane sumend.*

Expurgatis primis viis cathartico ità selecto, semper autem sub potionis formâ præscripto, imò interdùm in duplici cyatho exhibito, jusculum præscribetur per plures dies mane sumendum & extrà exacerbationem, confectum ex pullo juniori, aut carne vitulina, vel agnina, vel caprilla ad uncias sex vel octo præscriptâ, in quo per ultimam horam incoquentur cichorium amarum hortense, pinpinella hortensis, acrimonia, bugula, hedera terrestris & plante similes,

ità ut hederæ terrestris præscribatur pugillum, aliarum verò plantarum manipulus. Addi etiam huic jusculo interdùm poterunt astaci duo fluviatiles vivi contriti, cùm non timebitur sanguinis æstus, simulque stomachus aliquantùm roborandus erit; femora autem ranarum quatuor aut quinque cum prædictis coqui etiam poterunt cùm ulteriùs erit demulcendum. Ad eumdem etiam scopum utiliter præscribuntur & cum magnâ efficacia jusculа ex pullo juniori aut carne aliquâ ex prædictis aut colli ovilli frustro, unà cum testudinis mediocris carne cruentâ ejus sanguine corde & hepate, cancro fluviatili, & plantis prædictis aut earum aliquâ, parata. Juscula ejusmodi per novem decemve dies sumi solent mane jejuno ventriculo, deinceps purgatur æger, ut anteà quò deindè sumat per duodecim, quindecim, aut viginti dies serum lactis vaccini aut caprilli similibus horis ad uncias duodecim, aut quindecim, sed albuminibus ovorum duorum clarificatum cui incocta tempore clarificationis fuerint hederæ terrestris folia decem aut duo-

decim vel florum hyperici pugillum, eique percolato additum fuerit sacchari pauxillum. Incoquuntur etiam interdùm sero lactis, dum clarificatur sex octove mille pedes loti ac vivi contriti, at solum cum adsunt tumefactiones ædematosæ. Tum verò seri lactis usu peracto purgandus erit æger ut anteà.

Præscribi deinceps poterunt apozemata sub dosi duplici per dies tres aut quatuor sumenda, quorum materia erit cichorium hortense, pinpinella, bugula, agrimonia, hedera tereſtris, acetosa, radis oxylapathi, lactuca, indivia, flores violarum, semina quatuor frigida majora, minora, semen papaveris albi, syrupus de cichorio compositus, aut florum persicorum, aut rosatus solutivus, aut de quinque radicibus aperientibus, aut capillorum veneris, aut de nymphea, eligendo inter prædicta prout scopus erit aut leviter attenuandi simulque diluendi, aut diluendi & refrigerandi, prout casus tulerit, nam in Febre hecticâ is varius est.

Jàm verò si in pedibus corporisve habitu nequaquàm inflationes appareant, corpus autem ad siccitatem

& ſtrigoſitatem vergat undequaque, tunc lactis aſinini aut caprilli uſus imperandus erit per menſem & ultrà nimirum per plures menſes, digeſtionibus ſemper attendendo, undè primis usûs lactis diebus exhibendus erit ſerotinis horis pulvis ex terra Japonicâ, creta Brianconenſi, corallis rubris, oculis cancrorum fluviatilium & ſimilibus paratus; qui vero manè exhibebitur paulo antè lactis hauſtum ſi ſero exacerbatio ſuperveniat. Vel loco prædicti pulveris opiata ſimilis virtutis (cui ad ſtomachum roborandum addi poterunt conſervæ Kinorrodonis & enulæ campanæ) in uſum vocabitur cum prædictis cautelis. Non purgabitur æger niſi finito lactis uſu, ſi non depraventur digeſtiones; & è contrà tempore illius usûs purgabitur ſi malè ſe habuerit ſtomachus, cujus ſi vitia neque pulveribus nec opiatis, nec uno vel duobus catharticis, nec aquæ calcis ſecundæ cochlearium duorum lactis doſi additorum ope emendari nequeant, purgato ægro deſeretur lactis uſus, & ad juſcula & apozemata prædicta erit recurrendum.

Jam ſi unà cum Febre hecticâ con-

juncta fuerit cachexia evidens, adeò ut inflentur pedes aut etiam facies, imò corporis habitus; lac minimè erit præscribendum. Tunc autem parabuntur juscula in Mariæ Balneo ex carne vitulinâ magnâ dosi ut sesquilibræ aut librarum duarum, cichorio hortensi amaro, nasturtio aquatico, pinpinella, chærefolio, petroselino & plantis similibus, radice enulæ campanæ, rhabarbaro pulverato, millepedibus vivis contritis, astacis duobus fluviatilibus aut unico & similibus; per dies decem aut duodecim æger manè sumet illud jusculum; quibus exactis purgabitur prædictis catharticis minorativis; addendo syrupum aliquem leviter hydragogum ut de rosis solutivum, aut florum persicorum. Ea autem juscula iterari poterunt pro Medici prudentiâ. Verùm si imminuto urinæ fluxu, magisqne tumente corporis habitu vel crutibus hydrops immineat, tunc erunt auxilio diuretica calida potentiora, aperientia, imò hydragoga. Verùm spectans ad hydropem tractatio hæc non est ejus loci, ubi quidem Febrem hecticam tanquàm morbum præcipuum oppugnandum spectamus.

Cùm

Cùm autem ex veneno aliquo corrosivo aut pharmacis potentioribus aut nimiùm repetitis præsertim cacharticis aut emeticis inciderit æger in Febrem hecticam, ei quidem edulcorantia & humectantia protinùs exhibenda sunt. Quamobrem purgabitur potione ex tamarindis, mannâ, & cassià, cui addetur etiam oleum amigdalarum dulcium ad unciam aut uncias duas; exhibebuntur deindè per novem aut decem dies mane jejuno ventriculo juscula expullo juniori, ranorum quatuor aut quinque aut sex cruribus excoriatis, floribus malvæ aut violæ, semine lini, seminibus frigidis majoribus contritis, semine papaveris albi & similibus confecta; hinc non iterato cathartico (nisi quædam indicatio urgens ex parte primarum viarum malè se habentium, se obtulerit) continenter ad usum seri lactis vaccini aut caprilli per dies duodecim aut quindecim æger reducetur, quod simplex exhibebitur cum pauco saccharo. Finito seri lactis usu purgabitur ut suprà; Deindèque sumet mane lac asininum aut caprillum, imò serò lac sumet vaccinum aut ebuty-

ratum aut integrum ; ex quo etiam conficietur offa, aut in quo oriza excocta fuerit ad parandum cremorem ; imò ſumet nonnunquàm lac pro omni alimento, nimirùm mane aſininum aut caprillum & reliquâ die vaccinum ; & quidem his modis lacte diù utetur nimirùm per menſes abſque ullo cathartico, niſi purgandi neceſſitas urgeat.

Cùm autem ſtomachus ferre lac minimè poterit, tunc ad juſcula prædicta edulcorantia, præſertim teſtudinum, erit recurrendum, exhibito priùs cathartico minorativo, ad emulſiones ſed coctas, ad ptiſanas demulcentes acrimoniam, ad apozemata ſimilis virtutis, & ad diætam humectantem & edulcorantem, injicienda inſimul erunt enemata refrigerantia & edulcorantia ex radice altheæ, ſeminibus lini, pſilii, cydoniorum, ſeminibus frigidis majoribus aut minoribus, lactuca, portulacâ, oleo lini, amigdalarum dulcium, nucum, decocto omaſorum, inteſtinorum, & ſimilibus confecta.

Cùm autem Febris hectica alias Febris, malignæ puta aut putridæ aut

intermittentis alicujus consectaria exiſtit, præter diætam ſuperiùs præſcriptam, opitulandum erit per levia cathartica identidem exhibita & paulò frequentiùs quàm in aliis caſibus Febris hecticæ; quod ex prægreſſis Febribus ſtomachus ad pravas digeſtiones magis ſit pronus, intereà alendus ſit æger nec ad juſcula reducendus ne conſumatur conficiaturque tabe. Apozemata inſuper præſcribenda ſunt diluentia, leviter ſtomachica, ac leviter purgantia, quæ parabuntur ex cichorio hortenſi, pinpinellâ hortenſi, endiviâ, kinæ kinæ pulvere ad drachmam vel drachmas duas, aut florum camæmeli vel hyperici pugillo, ſirupo de chicorio compoſito, aut florum perſicorum & ſimilibus. Ad quem etiam ſcopum, (ſed cùm alvina purgatio non requiretur per dies aliquot) præſcribentur etiam juſcula ex eiſdem vegetabilibus & pullo juniori, ranarum cruribus aliquot additis, ſi magis demulcendum ſit, aut teſtudinis carne ejuſque ſanguine ſi à viſcoſo ſanguinis extricanda ſit acrimonia, expurganda dein per renes vel cutem; eorumque ac ſimilium juſculorum per novem aut

decem dies exhibitorum uſus iterandus erit pro neceſſitate.

Cùm autem per purgantia levia, juſcula, apozemata; jàm deſcripta & opportuno exhibita, æger alimenta rectiùs digerit, cùm, inquam, Medicus digeſtiones ſat rectè ſe habere percipit, tunc minorativi ope purgato ægro, ei ſerum lactis præſcribet, cui ne corrumpatur aut aceſcat in ſtomacho dùm fit ejus clarificatio incoquetur florum hyperici pugillum; vel ſi non metuatur ſeri lactis in ſtomocho corruptio, id ſimplex & largâ doſi præſcribetur, imò bis in die, nimirùm mane jejuno ventriculo & hora decimâ ſerotinâ quatuor nimirùm horis ab aſſumptâ pro cœna offà vel oryza in cremorem redactâ, ſumendum. Tùm verò, ſi per dies decem aut duodecim ſtomachus ſerum lactis tulerit, inſtitutâ purgatione præſcribetur lac aſininum, aut caprillum, aut vaccinum cum parte æquali infuſi capillorum veneris aut florum hyperici, aut foliorum hederæ terreſtris, coctum ac ſimul ebutyratum, ſique lacti ſtomachus aſſueverit, id per menſes duos & ultrà mane jejuno

ventriculo ſumetur. Secùs ut admi-niſtratis opiatis abſorbentibus vel ſi-mul ſtomachicis, pulveribus vis ſimi-lis, aqua calcis ſecundà vel aqua na-phæ lacti immixtâ, imò lateris fruſtro ignito in lacte immerſo & ſimilibus adminiculis, quæ apud practicos ob-tinent in uſu lactis ferendo, ſi ab uſu lactis ſtomachus malè ſe habuerit, eo relicto purgandus erit ocyùs æger, & ad juſcula prædicta præſertim teſtudi-num erit iterùm confugiendum.

Et hæc circà præcipuos Febris hec-ticæ caſus univerſim dicta ſufficere ar-bitror, cùm dein in individuis trac-tandis variæ occurrant complicatio-nes, quibus Medicus unuſquiſque, nonniſi per ſolertiam, ſed potiſſimùm per judicium ſolidum experientiâ apud ægros acceptâ firmatum factâ magnâ attentione omnibus & ſimul obviam ire poteſt. Antequàm tamen eam cu-rationem deſeram moneo in genere 1°. In Febre hecticâ medicamina ſub forma fluida eſſe potiſſimùm præſcri-benda, non verò ſub forma ſicca, ut pulveris, opiatæ, boli, pilularum, &c. ratio ex ante dictis patet, idque docet experientia. Intereà tamen cùm

adeò malè se habet stomachus, tunc adhibemus opiatas & pulveres, quò emendetur indèque humectantia & edulcorantia adhiberi possint; præprimis autem cùm supervenit hecticis diarrhæa medicamina sub formâ solidâ in usum veniunt, licet jusculis astringentibus eas diarrhæas nonnunquàm cohibeamus, vel & quoque laudani usu cùm ægri vires penitùs non sunt fractæ. 2°. Corticis peruviani usum magni esse auxilii in hecticis, quarum exacerbationes per frigus sensibile incipiunt, à quacumque causa producantur, præsertim cùm à pravis digestionibus multùm foventur; quod sanè probat in omni Febre hecticâ ventriculum aut præcipuam aut saltem aliquam materiam febrilem sanguini suppeditare, adeòque nunquàm in eâ benè edi digestiones. Verùm sive ad emendandas pravas digestiones, sive exacerbationes imminuendi aut dissipandi causâ, cùm præscribitur cortex peruvianus, is non sub pulveris forma vel opiatæ præscribi solet, ne ab eo nimis incalescat & exsiccetur æger, sed sub forma decocti & quidem levis; aut si sub forma pulveris exhibendus sit, is tempe-

ratur addito duplo mellis optimi aut ſyrupi capillorum veneris, aut in emulſione coctâ exhibetur, aut in juſculo pulli junioris. 3°. Cùm tuſſi aut vigiliâ torquentur hectici, eos levandos eſſe Narcoticis (niſi vires penitùs fractæ ſint) ut ſyrupo papaveris albi, ejus capitum decocto, imò & laudano ſive opiato ſive liquido, ne vigiliâ aut tuſſis ſuccuſſionibus abſumantur ægri vires, iſque contabeſcat invitis etiam aliis optimis auxiliis, quæ fortè ſaluti ipſi fuiſſent.



CAPUT UNDECIMUM.

De Febre Lentâ ſymptomaticâ.

LEntarum alia eſt ſpecies, quæ *Febris Lenta ſymptomatica* appellatur; quæque corruptelæ in aliquo organo ſtabilitæ effectus ſemper exiſtit, ulceris putà alicujus vel fiſtulæ vel abſceſsûs, vel purulentæ materiei aut ſanioſæ in aliquâ cavitate collectionis, vel cancri, vel cariei; & ut cumque ex his ſanguini tanta inuratur ſæpè labes,

ut is eſſentialiter laborare ſæpè videatur, certum tamen eſt à prædictis partium ſolidarum vitiis eam continuò foveri ac præcipuè regi, undè ſymptomatica ſemper eſt.

Hujus autem ut hecticæ tres diſtinguendi ſunt gradus, in quibus corpus eiſdem modis antedictis malè ſe habet, quique ſignis eiſdem ſuperiùs traditis congnoſcuntur ac inter ſe diſtinguntur. Neque cauſa continens diverſa eſt, nec explicatio ſymptomatum, quæ eadem ſunt. Supereſt igitur inquirendum quî labes prædicta ſolidorum toti ſanguini communicetur, eumque eòuſque corrumpat, ut febris lentæ cauſa continens excitetur. Si ergò ſolidorum labes prædictæ conſiderentur, ex quibus nimirùm oritur Febris lenta hæc, eas ad ſuppurationem pravam reduci omnes, ex quâ nimirum pus producitur acrimoniâ præditum, profectò percipiemus. Quamobrem Febrium omnium lentarum ſymptomaticarum materia febrilis eſt *pus acre*, quod benè notandum, nam ea materia febrilis pluries in praxi occurrit opugnanda. Verùm cùm ea materia febrilis velut focum habeat ſemper in

organi alicujus determinati ſive interni ſive externi ſubſtantià, eam ex eo organo labefactato toti ſanguini communicari, ut excitetur Febris lenta conſequens eſt. Illa autem communicatio dici ſolet *puris remixtio*, quæ jàm explicanda cum ſuis conſectariis.

Demoſtratum fuit in noſtrâ primâ diſſertatione de ſuppuratione pus confici in vaſis ruptis ſive ſanguiferis ſive lymphaticis, at in ſanguiferis ruptis potiſſimùm; præthereà cauſam ſuppurationis efficientem eſſe motum ſanguiferorum integrorum non liberorum & inflammatione affectorum; tùm puris materiam eſſe ſanguinem priùs inſpiſſatum in vaſis ruptis & mutatum in pus à prædictis ictibus ſanguiferorum ac abeiſdem ſub formâ liquaminis purulenti expreſſum, lymphamque morâ corruptam è lymphaticis ruptis expreſſam, ac tandem vaſculorum ruptorum lacinias in liquamen verſas. In ſecundâ verò diſſertatione de ſuppuratione varietates ſuppurationis oſtenſæ ſunt, & quamobrem non pus quodlibet progenitum foret laudabile, ſed cur interdùm liquamina purulenta forent acria & variè inquinata.

His omnibus animo ritè reputatis; si contingat purulenta liquamina acria progigni in aliquo viſcere ſive viſcoſa ſint ſive ſanioſa & diluta, ea vero (aut quòd undique concluſa ſunt, vel quòd exitui libera ſatis non eſt via) in parte ſuppurante retineri; quoniam partes noſtræ valdè poroſæ ſunt & undequaquè permeabiles, ut oſtendimus in Phiſiologia, profectò liquaminum purulentorum è vaſis ruptis effuſorum particulæ integrantes nonnullæ calore loci velut in vaporem verſæ in poros partium ambientium integrarum ſeſe inſinuabunt, poris pervias vaſorum integrorum tunicas pervadent, fluidoque per ea fluenti occurent eique permiſcebuntur circulationis legibus dein obnoxiæ (ſive in vaſa ſanguifera irreperint ſive in lymphaticâ prout fert ſors) intereà tamen veriſimile eſt eas longè majori copiâ in ſanguifera irrepiſſe, quòd ea cæteris vaſis numeroſiora ſint & in majori extenſione, longèque plures poros pervios purulento liquamini offerant. Ecce igitur particulas puris integrantes permixtas ſanguini & in totam ipſius maſſam diſpergendas legi-

bus circulationis , ſanguinemque totum temporis lapſu pure inquinatum. Eæ autem purulentæ particulæ viſcoſitate aliquâ ſemper prædictæ ſunt , ſimulque acres ſecum gerunt, Ab acribus igitur ſolvetur ſanguinis particularum integrantium compages , ſolvetur & ipſius mucilago tenuis , undè agitatio inteſtina ſanguinis major , majorque calor ; à viſcidis autem obſtruentur nevro-lymphaticorum oſcula, quæ etiam eo nomine obſtruentur quòd ſolutâ mucilagine tenuiore , ut dictum eſt , non concilietur ſanguini æquabilis fluxilitas parteſque craſſæ ſejunctim hîc & illîc ſocientur , à quibus obſtruuntur deinceps ubique nevro-lymphatica , ità ut ex his omnibus pronaſcatur cauſa Febris lentæ , prout de hecticâ dictum fuit cum ſatellitio ſympthomatum in capite præcedenti expoſitorum , quæ pronaſcuntur ſimiliter & explicantur ac in Febre hecticâ. Illud tamen circà Febres lentas à remixto pure productas notare juvat. 1°. Quod exacerbationes valdè irregulares ſint licet tamen horis ſerotinis potiſſimùm invadant. 2°. Quod per frigus invadere ſoleant. 3°. Quod

per ſudores terminari conſuëverint.

Et ſanè 1°. Cùm pars nunc magis nunc minùs ſuppuretur nullâ regulâ obſervatâ ; cùm pus (quando evacuatur partim) nunc magis nunc minùs evacuetur, proindèque ſine regulâ nunc magis nunc minùs in partis ſubſtantia retineatur; ſequitur puris remixtiones nullâ obſervatâ regulâ abundantiores identidem futuras , proindèque Febrem identidem & irregulariter intendi ſeu exacerbari. Cur verò horis ſerotinis exacerbat potiſſimùm Febris hæc ; quôd eis horis fluida in univerſo corpore humano magis ſpiſceſcant , nec abundans adeò ſit diapnoe , quare vaſa ſanguifera plus replentur , indèque augeſcit ſuppuratio , pluſque puris ſanguini remiſſetur.

2°. Cùm particulæ purulentæ ſpiſſæ ſint ac vitâ orbæ , cùm ſanguinem ſubiere abundanter , motum ejus agitativum infrigunt , undè is ſpiceſcit , producituque frigus febrile & pulsûs depreſſio , ut in hujus tractatus principio fuit expoſitum de aliis materiis febrilibus agendo ; tùm ſequitur deinceps æſtus febrilis , ſive exacerbationis excandeſcentia , pro-

uç

ut etiam ibidem fuit declaratum.

3°. Cùm ex illâ excandeſcentiâ febrili ſolvatur ulteriùs ſanguinis compages ſitque de cætero ebundans in ſanguine materia acris, multum progeneratur lixiviis tenuis, quod per cutis colatorium imminuto tandem febrili orgaſmo ſanguineque facto fluxiliori (attenuatâ tandem ex illâ agitatione materiâ purulentâ febrili) ſub formâ ſudoris foràs ablegatur; ex quâ evacuatione, ſæpè abundanti, multùm concidere ſolent ægri vires inanitis nimirùm velut ſubitò vaſis ac ex ceſſante ſimul rarefactione ſanguinis, quâ priùs vaſa tendebantur, concidentibus aliquantùm eorum tunicis. Ex quibus etiam multùm conſumitur æger & tabeſcit.

Quod autem dictum anteà fuit de remixtione puris in ſaguinis oceanum, ex viſcere aliquo ſuppurante, illud etiam intelligendum eſt ratione partium aliarum quarumvis ſive molles ſint ſive oſſeæ, ex quarum ſuppurationibus Febres lentas progigni ſæpè obſervamus, licet tamen ex ſuppurationibus viſcerum eæ frequentiùs contingant, quod ſanè imputandum

majori viſcerum ſubtantiæ raritati adeòque poris appertioribus magiſque meabilibus, tùm numeroſioribus vaſis eorum ſanguineis, quæ ambæ conditiones faciliori & abundantiori puris remixtioni multùm favent, majorique ſanguinis corruptelæ.

Verùm cùm Febres lentas ex fiſtulis pronatas, quarum calloſitates puris remixtioni obſtare videntur, item quoque ex partium externarum ulceribus è quibus pus liberè manat etiam obſervemus; videndum quæ tamen ex his oriatur Febris lenta. Et ſanè utcumque calloſitates poros velut obturent, certum tamen eſt à pure in fiſtulis congeſto ſimulque acriori rodi eas ità ac penetrari, ut nihiloſeciùs ipſius particulæ per poros tunicarum vaſorum integrorum imbibantur & ſanguini transfluenti commiceantur, quod etiam evenit ulceribus vetuſtis calloſis. Ut ut verò ex ulceribus ambitûs corporis pus liberè manare conſpiciatur, id tamen perſæpè temporis lapſu in ulceris facie tandem ita imbibitur, ut & quoque per poros remiſceatur ſanguini. Ubi notandum ex ulceribus alio adhuc nomine Fe-

brem lentam accerseri nonnunquàm, nimirùm cùm suppuratio abundans in eis diù perseverat, quòd per eam mucilago sanguinis è vasis tùm sanguineis tùm lymphaticis ruptis in quibus sit suppuratio abundè manans penuriam sui in totâ massâ sanguineâ inferat, quæ proindè fiat acrior minùs æquabiliter fluxilis & particulis mucilaginosis referta crassis hîc & illîc dispersis, eadem omninò progignatur sanguinis diathesis, quæ in Febre hecticâ, undè subsequuntur eadem, ac proin Febris lenta tunc ulceris nimis ac diutiùs durantis symptoma.

Jam verò cùm fluida quæcumque in ductus secretorios derivanda è sanguine prodeant, sequitur ea etiam è sanguine secreta inquinamenti in sanguine suscepti multum participare, eò magis quò flocculi puris sanguini innatantes difficilè mutantur propriamque naturam exuunt, hi ergò flocculi vix mutatâ formâ aut interdùm immutatâ unâ cùm sero, quod ubique secernitur, ductus secretorios quoscumque subibunt, undè explicabitur facilè fœtor sudoris, item cur ex abscessibus pectoris interni aut empye-

mate pus per urinas interdùm abierit, prout non ſemel obſervatum fuit, cùm nimirùm puris flocculi craſſiores per ductus urinoſos ſecreti ſimul deindè adunati fuerint præſertim in veſicâ ratione moræ urinæ & ponderis majoris materiei purulentæ urinæ commixtæ.

Explicabitur etiam diarrhæa illa immanis colliquativa ex purulentis particulis inteſtinorum liquori commixtis & inteſtina vellicantibus; item cur ab acribus particulis purulentis liqueſcat univerſa pinguedo ulteriùs & citiùs, eâque ratione accedat citiùs maraſmus, cujus etiam aliæ ſunt cauſæ in capite de Febre hecticâ allatæ. At cùm ſucci digeſtivi particulis his inquinati quoque ſint, patet digeſtiones etiam in eâ Febre fore neceſſariò depravandas, ex quibus pronaſcantur pravi ſucci, qui febrilem alteram materiam conſtituunt, quâ Febris intenditur & etiam exacerbatur, hinc fit ut cortex peruvianus eam materiam febrilem emendans valeat ſæpè mitigandis exacerbationibus Febrium etiam earum purulentarum. Ex pravis etiam illis ſuccis pravarum digeſtionum progenie ut

plurimùm acrioribus deducitur etiam diarrhææ ortus, quæ his Febribus supervenit licet ad gradum tertium non ſint deductæ adhùc. Prætereà ex pravis illis digeſtionibus pronaſcetur chylus malè ſubactus & particulis craſſis malè extenſis & acrioribus fœtus, qui ſanè jam conceptam à pure ſanguinis diathesim pravam aſſiduò foveat, adeòque lentam Febrem.

Cauſæ Febrium lentarum ſymptomaticarum romotæ ſunt cauſæ ulcerum & abceſſuum pulmonis, thymi (quem caſum ſanè rarum non ita pridem obſervavi in infante enecto Febre lentâ ex abceſſu thymi, prout declaravit apertio cadaveris, in quo pulmones de cætero illæſi reperti ſunt. Infans is conſtitutione laborabat ſcrofulosâ hereditariâ) pleuræ, mediaſtini, œſophagi (cujus casûs obſervationem raram mihi exhibuit apertio cadaveris hominis ſexagenarii, in cujus tunicis œſophagi abceſſus tot â pharinge uſque ad ventriculum reperii, ut iis apertis plus quàm libra puris effluxerit) hepatis, lienis, pancreatis, ventriculi, inteſtinorum, omenti, mezenterii, peritonæi, re-

num, veſicæ, uteri, ovariorum. Cur autem ex cerebri abceſſu obſervavi non ſolent Febres lentæ; illud fit, quòd abſceſſu facto æger extingui protinùs ſoleat; eam enim læſionem diù ſat ferre nequit cerebrum, ut ſtabiliatur Febris lenta, citòque intercidit functio cerebri vitaque proindè.

Cauſæ remotæ earum Febrium ſunt etiam cauſæ ulcerum, abſceſſuum, fiſtularum partium muſculoſarum, tegumentorum hoc eſt cutis & membranæ adipoſæ, item cauſæ carierum humidarum (quæ ſunt ſubſtantiæ oſſeæ parva ſuppuratio) & ſuppurationis oſſium medullæ.

His etiam cauſis remotis accenſendæ ſunt cauſæ puris effuſionis in pectoris cavo (quæ ſola apud græcæ linguæ ignaros dici ſolet empyema) effuſionis ejus inter omentum & peritonæum ex abſceſſu aliquo omenti veriſimiliter rupto (prout à plurimis annis in puero Febre lentâ conſumpto & ad maraſmum ultimum ducto vidi, in cujus cadavere inter omentum & peritonæum pus fœtidum quantitate tantâ obſervavi, ut ea per æſtimationem ad libras tres aſcenderet; dùm-

que viveret æger moles ea fluidi pro ascite imposuerit ; de cætero omenti margines peritonæo coaliti deprehensi fuere , & sic efformabatur bursa magna pure plena , omentum in centro erat semiputridum) & similium effusionum puris , quæ dici abscessus non possunt. Accensendæ quoque sunt causæ corruptelarum nonnullarum variorum viscerum , quæ corruptelæ vix dici possunt supurationes , prout ab annis circiter quinque observavi in nobili quodam Occitaniæ superioris Febre lentâ perempto , cujus secto cadavere deprehensa fuit substantia lienis mutata penitùs in amurcam quandam coloris casse , quæ in membranâ hujus visceris propriâ & paulò spissiori factâ concludebatur.

Cùm Febris lentæ hujus symptomata observentur eadem ac in hecticâ & in quovis gradu eadem sint ac in eâ in quovis gradu constitutâ , patet signa diagnostica eadem esse in utraque illâ Febre & in quovis gradu. Illud solum discrimen interest,quod in symptomaticâ reperiantur etiam signa corruptelæ alicujus ex memoratis in aliquo organo quæ in hecticâ absunt

ſemper, undè ſi ſigna hæc prædictis utrique illi Febri communibus adjungantur, Febris lenta dignoſcitur ſymptomatica, Ea autem organi alcujus corruptelæ ſigna hic non referenda ſunt, cùm aliorum affectuum hiſtoriam ſpectent, in qua profectò ſunt quærenda.

Quæ de pronoſi hecticæ ſuperiùs ſtatuta fuêre hùc etiam ſunt transferenda, quò lentæ ſymptomaticæ prognoſis ſtatuatur. At inſuper periculum majus aut minus prædicitur ex indole cauſæ à quâ fovetur ac regitur ea Febris; prout nimirùm organi corruptela, à quâ dependet, aut ſanabilis eſt per chirurgiam aut per medicamenta & diætam; vel prout ejus ſanatio dubia eſt, vel impoſſibilis reſpuens nimirùm auxilii cujuſvis efficaciam. Quamobrem his benè perpenſis Febris lentæ ſymptomaticæ ſanatio interdùm ferè certa, interdùm dubia, interdùm abſolutè impoſſibilis etiam in primo gradu pronuntiabitur. Idcircò lethalis etiam in primo gradu exiſtens à Medico prædici ſæpenumero poterit, quæ prædictio ſemper magis ambigua eſt circà Febrem hecticam in primo gradu.

Febris lentæ ſymptomaticæ curatio

in quamplurimis hecticæ curationi similis, in nonnullis tamen dissimilis est. Siquidem 1°. Diæta eadem est ac in hecticâ. 2°, Modus purgandi quoque fermè idem, cum eâ tamen observatione, quod nonnisi minorativâ cathartica in eâ Febre semper usurpanda sint, ac in genere infrequentiùs ii ægri sint purgandi, cathartica namque sanguinem exagitando suppurationem promovent, quod sanè fugiendum. 3°. Cùm labes organi alicujus suppuratoria Febrem eam foveat, ei suppurationi curandæ vel auferendæ totis viribus est intendendum. Quamobrem interdùm chirurgia est adhibenda, ut cum auferendæ sunt fistulæ, aut sinus dilatandi, aut cariosa ossa urenda vel rodenda vel scalpro liberanda; aut empyema pectoris evacuandum, aut aperiendi & evacuandi latentes ac vetusti abscessus, ut cum ulcera externa methodicè sunt tractanda. Interdum verò cum chirurgia non sufficit aut locum non habet, tunc sanè acrimonia sanguinis est corrigenda, parsque à pure liberanda per detersiva internè usurpata quantùm fieri potest suppurationes namque

internè curam ſæpe omnem eludunt. Itaque purgatis minurativo primis viis, ſi neceſſum eſt emendato ſtomacho per juſcula ex pullo juniori aut ſimili carne duobus aut tribus cancris fluviatilibus florum hyperici pugillo aut foliorum hederæ terreſtris ſimili dozi ac cicorii hortenſis amari manipulo ſemiſſe aut uno confecta, vel etiam (ſi ſtomachi vitium nimis abſtinatum ſit) per opiatas ſtomachicas & abſorbentes aut pulveres ſimilis virtutis addito ſive opiatis ſive pulveribus antihectico poterii, & interdum ſuccino albo & nonnunquam ſed rariùs millepedibus præparatis ſed exiguâ doſi, ocyùs quantùm fieri poteſt ad lacticinia erit confugiendum, ut ſtatim ad ſerum lactis clarificatum, & plantâ aliquâ amarâ levi alteratum, ſi ſtomachus ſuſpicetur adhùc malè ſe habens. Seccùs, ſi ſtomachus benè ſe habuerit, omiſſo ſeri lactis uſu imò opiatarum aut pulverum, lac protinus præſcribetur ſed imprimis aſininum aut caprillum vere, imò ſi caſus urgeat æger bis in die lac ſumet, quin & reducetur ad diætam albam modo in capite de hecticâ expoſito.

Jam verò ſi ſtomachus lacti non aſſueſcat, utcumque in auxilium invocata fuerint opiatæ, pulveres, aqua florum aurantiorum, aqua calcis ſecunda, lateris igniti fruſta & reliqua, quibus utuntur practici, ut in capite precedenti dictum fuit, tunc ægro purgato proſcribetur lac, cujus vice uſurpabuntur juſcula teſtudinum, ranarum, & ſimilia in eodem capite deſcripta addendo plantas vulnerarias leves deterſivas (non autem aperientes) inter quas in eo caſu præſtant hypericum, hedera terreſtris, veronica, pinpinella hortenſis.

Sive autem edulcorantia uſurpata lactis ſpecies extiterint aut ſerum lactis aut memorata juſcula, iis ſanè diù ac per menſes erit utendum; quo tempore balſama nativa utpotè optima deterſiva ſæpius erunt præſcribenda imò nonnunquam ſingulis diebus per plures menſes, ut egi aliquoties cum bonis ægri rebus ita ut phtiſes pulmonares confirmatas non ſemel curaverim aut ſæpè multùm protulerim. Balſama hæc ſunt balſamum judaicum, tolutanum peruvianum album, de copaïva canadenſe omnium mitius pul-

monique ſuppurato cæteris magis congruum. Balſama autem hæc eligenda ſemper recentia, cum enim vetuſta omnia nocent, fiunt enim ex vetuſtate acria. Cùm in ea curatione diù balſamis utendum ſit, doſis eorum debet eſſe paucarum guttarum, ut duarum, trium, quatuor, quinque ſex, quæ ſirupi hederæ terreſtris cochleari uni vel ſemiſſi erunt miſcendæ, paulòque ante lactis vel ſeri lactis vel juſculi edulcorantis hoſtum ab ægro erunt ſumendæ; quod fiet ſingulis diebus vel alternis, vel ſingulo quo que tertio die prout fert caſus. Conſulo autem ut in his curationibus multùm balſamis utatur Medicus cum prædictis cautelis, ità namque res feliciter mihi ſæpiùs ſucceſſit. Prætereà ptiſana de hedera terreſtri, hydromel, & potus ſimiles partis ſuppurantis deterſioni multùm quoque proſunt.

Poſtremò cum laudanum ſuppurationum activitatem infringat eamque velut ſuſpendat cum partis ſuppurantis levamine, ideò in his Febribus lentis ſuppuratoriis experientiâ certâ & fœlici confirmata multùm eo utimur, ità ut interdùm uſum laudani habitualem

tualem his ægris consulamus ; quo solo auxilio observatâ de cætero diætâ congruâ per annos sex nobili mulieri evidenter phtisicæ anno ætatis septuagesimo secundo tandem defunctæ vitam protraxi, quæ nullâ opera nullâve arte adhibitâ neque lac lactisve præparationes neque juscula quævis edulcorantia ferre unquàm potuerat.

Verùm cùm Febris hæc sit symptoma aliorum morborum, quorum curatio alibi exponitur ideò ulteriori disquisitioni supersedeo & ad Febres intermittentes transeo.



CAPUT DUODECIMUM.

De Febribus intermittentibus in genere.

SPECIEM aliam Febrium constituunt Febres *intermittentes*, quæ si debitè considerentur, eas ad Febres humorales & speciatim ad putridas redici fateri cogemur, cùm materia earum febrilis infestet & primas vias & sanguinem, ac in primis viis turbas similes existet ut in putridis,

similiaque inferat in toto corpore symptomata sive hæc spectentur tempore frigoris febrilis sive tempore pyrexiæ. Illud tamen discriminis subest, quod in putridis matetia febrilis continuò sanguinem afficiat, in intermittentibus verò non item sed interpolatè, sic ut tempore intermissionis sanguis nihil pati videatur. Quamobrem causa intermittentium eadem est ac putridarum, cum eo tamen discrimine, ut continuò hoc est ab invasione morbi ad solutionem usquè perfectam non præsens sit in sanguine, ut in putridis continuis, verùm nunc præsens sit nunc cesset iterum reditura. Ne igitur repetamus quæ jàm dicta fuêre, legatur priùs Caput 5. in quo agitur de Febre putridâ, & Caput 2. in quo quæ ad definitiones & divisiones Febrium intermittentium spectant relata fuêre.

Et sanè materiam febrilem intermittentium in primis viis hospitari, ab eisque sanguini sufflci admonemur eisdem signis ac in Febre putridâ, nimirùm cardialgiis, ructibus, nauseis, vomitibus, singultu, diarrhæis, colicis doloribus, oris fœtore & simi-

libus, quæ vigent potiſſimum ingruente acceſſione febrili, utque putridæ earumque exacerbationes incipere ſolent per frigus febrile in quovis gradu, ità & omninò res evenit in principio acceſſionum; cùmque in putridis deindè Febris excandeſcat, ità & in acceſſibus Febrilibus æſtus febrilis frigori ſuccedit cùm ſymptomatibus eiſdem. Reſtat ergò tantummodò ad explicationem intermittentium inquirendum, quî materia febrilis intrà non longum tempus diſſipata, redeat iterùm, illæque diſſipationis & reditûs materiæ febrilis viciſſitudines pluries contingant, antequàm morbus penitùs ſanatus ſit.

Cùm itaque per unicam acceſſionem morbus non ſit ſanatus (quamquàm ſanguis a materiâ morbificâ per ſudores aut alio modo videatur liberatus ac ceſſet omninò febris) ſequitur materiam morbificam aut penitùs non diſſipari aliquanquè remanere velut ſopitam in aliquo loco extrà ſanguinis vias, quæ dein reviviſcat, aut novam in eodem loco produci, quæ aliam acceſſionem pariat cum ſimili ſatellitio ſymptomatum ſive in princi-

pio ſive in akme acceſſionis apparentium.

Eum locum appellarunt Medici *focum* materiæ morbificæ intermittentium ; & circa eum focum diſputant ; alii enim eum focum in primis viis & in ventriculo imprimìs ſtatuunt, alii in vaſis lymphaticis. Verùm per ſignum ullum nulla eſt demonſtratio materiei hujus morbificæ in lymphaticorum ſyſtemate hoſpitantis, cujus portio fiat fluxilior ſanguinique identidem remiſceatur ad acceſſionem excitandam, quâ diſſipatâ alia craſſior adhùc inſumat tempus intermiſſionis ut ſolvatur in lymphaticis & deindè in ſanguinem tranſeat acceſſionem aliam excitatura, ut nonnulli ſibi perſuadere volunt per hypoteſim quæ ipſis arridet. Nec quicquam demonſtrat materiam morbificam quæ acceſſionem excitavit partim tantùm vi febris diſſipari, dùm reliqua portio è viis ſanguinis ablegatâ ſubit vaſa lymphatica, in quibus ob craſſitiem aliquandiù morans aut putreſcit aut corrampitur modo quocumque, hinc pravas adepta qualitates quoùſque ſolvitur & fit fluxilis, ut per vaſa lymphatica

progrediens sanguinis oceanum ingrediatur novam accessionem excitatura cum eisdem consectariis, quò ad alteram accessionem fiat apparatus similis, prout aliis visum est. Prædicta igitur cùm hypothesis tantùm sapiat, nec quicquam de his nos admoneat, focum intermittentium in lymphaticis non reponemus.

Cùm autem, ut jàm anteà dictum est, tempore accessionis ac potissimùm in ejus ingressu symptomata quamplurima demonstrent pati & affici multùm primas vias ac stomachum præsertim, ea propter focum intermittentium in eis ac præcipuè in stomacho statuimus; eò magis quò causæ earum Febrium remotæ ad pravas digestiones procurandas cunctæ evidenter tendere videantur, & quò nulla earum curatio expectanda sit, nisi per auxilia primarum viarum vitia corrigantur sive eas à pravis succis expurgando, sive eos succos debitè alterando & immutando.

Verùm duplici modo consipi potest ille focus, nimirùm 1°. In cavo ventriculi & intestinorum; 2°. In organis secretoriis ad ea cava respicientibus.

Et 1°. Quidem in ventriculi cavo & intestinorum certum est remanere aliquandiù velut sopitos succos viscosos qualitatibus pravis præditos, sive sint pravarum digestionum præcedentium reliquiæ sive glutinosior portio fluidorum digestivorum pravorum effusorum ac parietibus horum cavorum adhærescens. 2°. Fluida digestiva quævis in propriis colis ob viscositatem inassuetam quoad portionem aliquamdiù retineri possunt, & ob moram conceptam velut corrumpi, pravasque induere qualitates. Jàm verò quandiù memorati pravi succi tùm in prædictis cavis tùm in organis secretoriis immorabuntur, palàm fit sanguinem ab his nihil passurum nullamque excitandam fore febrem & tunc adest intermissio, quæ tandiù durabit quandiù insumendum erit tempus ut ex corruptelâ datæ energiæ illi pravi succi spissi ac tenaces solvantur, eamque adipiscantur fluxilitatem ex quâ facti obsequiosi, qui jàm erant in cavo ventriculi & intestinorum ad lacteas subeundas duci possint, qui autem erant in organis secretoriis in cava prædicta per vasa excretoria dimitti

possint & pariter duci ad lacteas, tunc autem finitur intermissio, cùm enim hi pravi succi per vias chyli in sanguinis oceanum fuêre ducti, tunc materia febrilis sanguinem inquinare incipit febremque exitare, & tunc incipit accessio per frigus in vario gradu juxtà genium materiæ febrilis, hinc sequitur pyrexia, quæ durat quoùsque eâ materia febrilis vi febrilis æstûs fuerit soluta ac evacuata aut immutata. Cùm autem materia febrilis sanguini cantinuò non suppeditetur ut in Febribus continuis, ideò dissipatâ in sanguine materia febrili, quæ accesserat, aut correctâ cessat Febris, & tunc finita est accessio. Cùm autem tempore tùm pyrexiæ tùm intermissionis pravæ fiant digestiones ex quibus præparantur pravi succi, subque finem pyrexiæ materiæ febrilis vi febrilis æstûs attenuatæ portio in ventriculi & aliorum organorum digestioni inservientium ductus secretorios ablegetur, eos ob aliquam spissitudinem quâ adhûc prædita est velut infarciat & obstruat, in eisque, ut antea dictum est, determinato tempore moretur in novâ illâ intermissione, præ-

paratur intrà certum tempus nova materia febrilis novuſque commeatus pro excitando alio acceſſu febrili, & ità deinceps.

Ex quibus omnibus conſequitur non ſemper in ſanguine præſentem futuram materiam febrilem, eam produci intrà datum tempus in primis viis, præparari, tùm deinceps in ſanguinem influere more fontium intercalarium. Quare ſatis patet thooria Febtis intermittentis in genere.

Jam verò ut determinata videmus tempora in quamplurimis operationibus naturæ, ut ad muſti in vinum mutationem, ad fructuum maturitatem, aliaque opera ſimilia; quid mirum quod in cumulanda præparandaque in foco prædicto materia febrili ad novam acceſſionem exitandam determinatum inſumatur tempus, tuncque intermittens Febris conſtituatur periodica. Cùm autem non ejuſdem genii ſit in omnîbus ægris ea materia febrilis, in nonnullis nimirùm ſpiſſior ſit in aliis minùs ſpiſſa & in vario gradu, tùm in nonnullis ea materia particulis activis quæ ſpiſſum ſolvant magis referta, in aliis minùs, patet

diversas fore intermittentium periodos, adeòque poni earum varias species in capite hujus tractatûs. 2°. Delineatas, cùm plus requiratur temporis quò materia febrilis spissior vel etiam particulis activis minùs referta cumuletur in foco præparetur indeque migret in sanguinem, minùs verò temporis spatium cùm ea materia non adeò spissa existit, vel particulis activis & solventibus magis dives; tùm & semper determinatum tempus necessarium sit pro his omnibus peragendis cùm materia febrilis in determinatâ progeneratur spissitudine, & in datâ particularum activarum solventium proportione. Cum autem materia hæc febrilis eodem tenore non cumulatur in foco nec præparatur ob rationes infrà tradendas in capite de Febre intermittente erratica, patet neque idem tempus insumendum fore pro intermissione neque pro accessu, & tunc constituetur intermittens erratica.

Quæ verò ad symptomatum Febrium intermittentium explicationem spectant, ea sanè, cùm in capite 5°. de Febre putridâ explicata fuerint, hîc non repetemus; in eo namque capite

ſatis diſſeruimus de frigore febrili ejuſque variis gradibus; cauſis, ſymptomatis, anomaliis item de pyrexiâ ejuſque cauſis & ſymptomatis, tum Febris ceſſatione; quæ omnia ſimiliter eveniunt in acceſſione febrili ac in febre putridâ ejuſve exacerbationibus. In eodem capite explicatæ quoque fuerunt turbæ, quæ ingruente febre putrida ejuſve exacerbatione in primis viis excitantur, quæ turbæ ſimiles excitantur in ingreſſu acceſſionis eaſdenque agnoſcunt cauſas. Moneo tamen in intermittentibus eas multò magis, quàm à Medicis vulgò fit, colatorii ſtomachalis infarctui ac repletioni à materiâ febrili ad ultimum cumulata imputandas eſſe, ex quâ affectione ſubſequitur ſanguinis tranſitus difficilior in membranâ ventriculi nerveâ, hujus proindè tenſio moleſtia dolor; ex quibus benè perpenſis explicatio earum turbarum dilucidior ſit. Idem dicendum de infarctu in ſimili circunſtantia, hoc eſt in acceſſionis prodromo, colatorii inteſtinalis imò ſæpè hepatis, ex quo frequenter etiam ſuppeditatur materia febrilis intermittentium. Quare his

perpensis evidentior fit solutio plurium phœnomenôn, quæ ad intermittentes spectant. Tandem ex præcedentibus omnibus enucleatis deducitur quoque ratio cur plures Febres continuæ putridæ exacerbent sivè periodicè sivè erraticè; quam explicationem in capite de Febre putridâ consultò omisi, quòd in eo capite de intermittentibus ea materia aptiùs tractanda foret.

Causæ intermittentium remotæ eædem sunt ac putridarum. Illud tamen est animadvertendum eas causas vel ratione propriæ actionis vel ratione dispositionum corporis, quod eis causis exponitur, abundantiorem producere materiam febrilem ad putridas excitandas quæ continuò per dies saltem quatuordecim inquinet sanguinem, secùs verò ad intermittentes pruducendas in quibus non adeò copiosa simul producitur materia febrilis licet ejusdem energiæ, quæ tamen intrà datum tempus iterùm progeneratur, ut docuimus.

Præter eas causas remotas dantur & aliæ familiares pro intermittentibus excitandis, ut aer paludosus, cœnosus,

terris effossis inquinatus, aquæ palustres epotæ, æstas siccior, fructus immaturi.

Ex quibus omnibus ritè perpensis patet explicatio, cur ab eisdem causis remotis is in Febrem putridam incidat alter in intermittentem? Cur putrida mutetur interdùm in intermittentem, & è contrà intermittens in putridam? Cur curatio earum Febrium fermè eadem sit?

Febres intermittentes facilè cognoscuntur modò fuerint observatæ duæ aut plures accessiones; in primâ enim accessione cognosci non possunt; cum possit esse Febris ephemera, cùm eodem modo incipiat Febris putrida aut Febris maligna; adeòque cùm ingruit prima accessio prudens Medicus suæque famæ consulens nihil adhùc de naturâ Febris pronunciabit; sed expectabit, quæ tamen cunctatio ægro non officiet cùm ei tamen æquè certò opitulari possit, quæcumque futura sit Febris. Cùm itaque affirmari non possit febris intermittens nisi saltem una intermissio in quâ æger à Febre liber omninò esse debet, observetur, ideò saltem accessiones duæ observandæ, quæ cùm observatio instituta

tituta fuerit, Febris intermittens erit pronuncianda. Quænam autem sit febris ea intermitens, determinabitur cognitâ tota periodo, quæ includit accessiones duas & intermissionem inter accessionem utramque intermediam. De his autem periodis in capite 2°. actum fuit, & quænam Febribus intermittentibus ex periodis illis dati temporis imponerentur nomina declaratum est. Si autem accessiones plures observando nullæ statuantur periodi, Febris intermittens pronuntiabitur erratica.

Febres intermittentes cæteris paribus continuis minùs periculosæ sunt, tùm quòd saltem intermissionis tempore corpus non patiatur sed conquiescat ac reficiatur, quod nunquàm fit in continuis; tùm quòd intermissionis tempore materiam febrilem directè impugnantia ut emetica, cathartica; febrifuga tutiùs exibeantur, quam cum adest Febris aliqua ut in continuis etiamsi remittant, ea enim medicamina sanguinem semper exagitant, qui pacatus est in intermissione, semper autem agitatus in continuis. Febres tamen intermittentes

immunes à periculo non existunt, cùm ægri enecti fuerint in accessionibus, alii nimirùm in frigore febrili alii in pyrexiâ. In frigore namque febrili sanguis interdùm odeò spissatur imò coagulatur ut fermè exutus fluiditate circulari non possit, iique ægri frigent admodùm; pulsus exiguissimus eis est inæqualis intermittens intercadens, imo interdum nullus ad sensum & pereunt syncope, adeo materia febrilis spissa est aut acida. Is autem status frigoris febrilis in quo ægri pereunt est semper algor seu gradus quartus frigoris febrilis de quo egimus in capite 5. In pyrexiâ excandescit adeò interdùm sanguis ut vi immani dilatatis sanguiferis pereat æger aut apoplexiâ aut suffocatione aut inflammatione visceris alicujus gravissimà. Licet autem interdùm in intermittentibus affectos summoperè ægros videamus, non adeo tamen timendum ac in continuis, cùm spe dissipandæ intrà poucum tempus materiæ febrilis ac finiendæ accessionis ducti, vasa difficili sanguinis circulationi verosimiliter aliquandiù resistere posse existimare possimus.

Intermittentium curatio à putridarum curatione non multùm absimilis est. Et 1°. Quidem quod spectat ad diætam, cùm incipiunt Febres intermittentes & aliunde corpus vegetum est nec attenuatum æger reducendus est ad diætam tenuem etiam in intermissione, nutrietur itaque jusculis, numquàm autem cremoribus, docuit enim experientia farinacea quævis Febres ejusmodi fovere, profectò quia corrumpuntur in stomacho & acescunt aut abeunt in magnâ spissum, undè major materiæ febrilis proventus. Potus erit aut aqua simplex aut aqua cui panis tosti frustum fuerit infusum aut ptisana radicis graminis vel capillorum veneris. Tempore tamen pyrexiæ cùm multùm excandescit Febris aut acrimonia nimis evehitur potandi ægri aut decocto hordei aut decocto orizæ aut aqua pulli, imò & ptisanis, aut aquæ communi addi poterunt sirupi acidi ut limoniorum, granatorum, de agrestâ, aut guttæ aliquot spiritûs sulfuris aut aquæ temperatæ Rabelli Valentini. Verùm acida hæc sive vegetabilia sive mineralia non addentur potui nisi ad gratam

aciditatem, nec umquàm addentur nisi febrilis æstus ad summum evectus sit perindè ac in Febre ardente, id quod fit ex necessitate nè ex summâ sanguinis rarefactione occumbat æger. Intermissionis autem tempore numqàm sic potabitur æger, potus enim ii sanationem difficiliorem efficerent, cùm materia febrilis intermittentium semper spissa sit valdè, sæpeque acida. Cur autem intermissionis tempore consulam ægrum ab omni escâ abstinere, est quod utcumque æger nihil tunc pati videatur, interea tamen succi digestivi nunquàm benè se habent quousque æger ab intermittenti Febre penitùs sit laberatus, ità docente experientia, quapropter alimenta etiam in intermissione aliquantùm corrumpuntur & sic multiplicatur materia febrilis. Cùm autem intermissionis tempore offæ quædam panisve frusta interdùm ægro conceduntur, illud fit aut propter vires imbecillas aut quòd tractandæ offerantur intermittentes quæ jàm à notabili tempore afflixere ægrum ac debilitaverunt, aut quòd Febris est quartana & longa intermissio nimirùm duo-

rum dierum aut paulò plus, & sic debilitaretur æger si non nutriretur; aut illud fit in senibus & infantibus in his enim ætatibus diæta ægrè ferri potest aut propter ægrorum obstinationem. At accessionis tempore esca nulla ægro concedenda perindè ac in Febre putridâ; imò in primâ accessione à principio ad finem nullum jusculum est sumendum nisi vires sint imbecillæ. In sequentibus accessionibus jusculum sumi solet, nunquam tamen tempore frigoris febrilis nam stomacho molestiam pareret, is enim tunc tensus est & perturbatus à materiâ febrili quæ ab eo fluit in intestina vel interdum partim per vomitum foràs ejicitur; sumitur itaque semel jusculum in pyrexiâ, aut bis (si diù duret aut vires ægri dejectæ sint) ac deindè cùm terminatur accessio iterum sumendum est. Frigoris tempore utcumque æger sitiat potus interdicendus, docuit enim experientia frigus fieri à potu vehementius diutiùsque protrahi tùm deinceps pyrexiam vehementiorem longioremque frigori succedere, quod à potu frigido diluta simulque refrigerata materia febrilis

& abundantior & ſpiſſior ad ſanguinem affluat qui jàm à frigore potûs refrigeratus ac denſatus fuit. Intereà tamen ſi tolerare ſitim æger abſolutè nequeat concedenda ei identidem aqua pauca ſed tepida cum vini rubri pauxillo, quæ ad ſitim ſedandam meliùs in ore aliquantùm voluenda antequàm deglutiatur, indè enim præcaventur incommoda ab aquæ frigore inferenda, ulterior ſcilicet materiæ morbificæ & ſanguinis ipſius inſpiſſatio. Verùm in pyrexiâ æger liberater erit potandus ad æſtum febrilem compeſcendum, nec potus calefaciendus, æſtate autem aliquantùm glacie erit refrigerandus ſaltem in his regionibus meridionalibus. Et hæc de diætâ in intermittentibus obſervandâ in genere dicta ſufficiant.

Remediis intereà opitulandum. Itaque 1°. quod ſpectat ad frigus febrile ſi id vehementiſſimum non extiterit, utcumque pulſus depreſſus ſit debilis ac velut tremulus aut valdè correptus modò nullum accedat animi deliquium, nihil erit exibendum, ſed æger in cubili calido reponendus, plurimùmque ſtragulis operiundus,

quibus æger deindè pro labitu expedietur cùm imminui frigus percipiet & accedere calorem. At cùm tantum eſt frigus febrile ut pulſus vix percipiatur, aut æger ſummoperè polleat, aut accedat animi deliquium (qui ſtatus eſt algor febrilis) ei incunctanter ferendum auxilium, materia namque febrilis tunc inſpiſſat adeò ſanguinem ut ſanguinis poſſet intercipi circulatio. Itaque tunc ſuccurritur per cardiaca promptioris & valide energiæ, ut ſunt hauſtus vini generoſi, cui etiam immiſcentur cariophylli aromatici pulverati ad grana ſex, octo, duodecim, ut ſunt theriaca vetus, confectio alkermes, lilium paracelſi, caſtorei tinctura; imò ſi res urgeat ſalia volatilia & ſpiritus volatiles ut viperarum, ſalis ammoniaci, aut ſalia volatilia oleoſa præſcribuntur nè ſanguis inpiſſationi aut coagulationi ſuccumbat. In eo caſu applicantur & feliciter ſcrobiculo cordis epithemata cardiaca, inter quæ præſtat cruſta panis toſta imbibita vino generoſo valdè calido & pulvere cariophyllorum aromaticorum inperſa. Præſtat autem cùm frigus febrile adeò

vehemens ſit oleum therebintinæ æthereum ad guttas tres quatuor aut ſex haſtum in vino, quod repetendum ſi caſus urgeat.

Tempore verò pyrexiæ quoniam caput multùm dolore conſuevit, reſpiratio autem magna eſſe ſolet & interdùm difficilis, tandemque inflammationis alicujus internæ metus eſt, quæ omnia rarefactionis ſanguinis nimiæ conſectaria ſunt, ideò in primâ ſaltem acceſſione cùm æſtuat corpus ſanguis mittendus è brachio, è pede autem ſi caput ultrà modum doleat aut ſopor ægrum occupet vel delirium, quin & ſi æſtus invitâ ſanguinis miſſione ſummus ſit præſcribenda emulſio cum ſirupo aliquo refrigerante ut nymphеæ vel limoniorum: imò interdùm ſanguinis miſſio erit repetenda. Ità & deinceps in aliis acceſſionibus ſanguis mittetur cùm æſtus erit nimius aut æger difficilè ducet animam aut ſopor eum occupabit vel delirium.

Tum verò inceptâ prima intermiſſione purgandæ erunt primæ viæ aut emeticâ aut catharticâ aut cathartico-emeticâ potione, prout caſus tulerit

quo portio materiei febrilis evacuetur. In secundâ intermissione æger iterùm purgabitur sed cathartica potione nisi secunda accessio multùm sævierit & caput fuerit in periculo, in eo namque casu accuenda est granis aliquot tartari stibiati potio cathartica. In tertiâ intermissione cortex peruvianus erit adhibendus ter aut quater exhibendo pro quâque dosi corticis hujus pulverati drachmam aut sesqui drachmam cum paucâ aquâ quæ ad diluendum hunc pulverem requiritur; vel si intermissio brevis sit China China bis tantùm exibebitur sed ad drachmas duas quaque vice. In quartâ intermissione idem circiter fiet. In quintâ intermissione minor hujus corticis quantitas exhibebitur. In sextâ etiam minor nisi sævierit accessio. Postmodùm si non redierit occessus intereà per quatuor aut quinque dies singulis diebus corticis hujus drachmas duas aut saltem drachmam unam exhibere congruum est, quò materiei febrilis pronascendæ reliquum certiùs immutetur & corrigatur. Si autem necquicquàm exhibito cortice peruviano redeat sexta aut septima ac-

cessio, signum est materiam febrilem abundantiorem esse, quæ proindè à China China solvi & immutari non possit, quæque eludat ejus efficaciam, tuncque iterùm æger erit purgandus deindeque ad peruvianum corticem erit rursùs recurrendum per duas aut tres intermissiones. Verùm si incassùm ità sumatur China China neque cessent accessus tunc chinæ chinæ usus relinquendus est, & ad alia febrifuga est confugiendum in intermissionibus præscribenda, qualia sunt camæmeli flores præstans febrifugum, chamædris centaurium minus, carduus stellatus; quin & præscribetur sequens decoctum tanquàm præstans.

REC. *Camæmili inodori manipul. unum, cremor. tartar. drachm. duas. bull. per semihoram in aq. font. unc. duodecim. sumat æger calidum illud decoctum ineunte frigore febrili.*

Loco camæmili inodori, cùm non reperitur, substituo florum camæmeli siccorum (qui semper in officinis Pharmacopolarum prostant) manipulum semissem addendo semper cremoris tartari drachmas duas ut fiat simile decoctum. Hoc vel illud decoctum

eſt remedium veluti certum ad ſiſtendas Febres intermittentes, prout ſæpiſſimè ſum expertus, ità ut altero ex his decoctis primâ vice exhibito pluries viderim ceſſaviſſe Febres intermittentes, adeò eis decoctis vis ineſt pravam hujus materiæ febrilis indolem mutandi; ſaltem illud remedium cùm exhibui ſecundâ vice & ad majus tertia vix unquàm mihi contigit videre acceſſiones non fuiſſe fugatas. Illud remedium imminuit frigus febrile, quod citò ceſſat, ſucceditque aut calor naturalis ſine Febre aut calor parùm adauctus cum paucâ Febre, & cùm ſecunda aut tertiâ vice exhibetur calor frigus fractum ſubſequens eſt naturalis nullaque Febris adeſt, nec redit ampliùs acceſſio ulla. Hunc fauſtum ferè ſemper obſervavi ſucceſſum, at cùm præceſſerant ſanguinis miſſio purgatio & chinæ chinæ uſus aliquis, ex quibus tamen non ablata fuerat Febris, ſed ſemper ſæviebat.

Verùm quotieſcumque uſu chinæ chinæ non delentur intermittentes poſt dies aliquot, illud remedium utique eſt deſerendum; cùm enim diù protrahitur ejus uſus & ſumitur magnâ

quantitate (ut qui degunt propè nostra stagna agere consueverunt Febribus intermittentibus plurimùm obnoxii) equidem sistuntur tandem accessiones, verùm ex illo usu nimio corticis peruviani succedunt obstructiones viscerum abdominis vix delebiles, skirri lienis & hepatis monstrosæ sæpè magnitudinis, à quibus sæpè hydrops, ulcera in tibiis cacoethea, quæ vix unquàm sanantur; infelices eos eventus in prædictis hominibus ità observavi sæpè ex abusu chinæ chinæ. Quem etiam nimium chinæ chinæ usum improbat Sydenham, quòd pluries ab eo viscerum abdominis obstructiones viderit subsequntas.

Cùm autem eveniat pluries (aut quod diæta non fuerit observata, aut quòd hæ Febres non fuerint tractatæ aut quòd neglectis sanguinis missione aut sufficienti purgatione aliâve culpa malè fuerint curatæ) Febres intermittentes veterascere, indeque spisscescere adeò materiam febrilem ut pronoscantur obstructiones in colatorio venticuli, intestinorum, hepatis, pancteatis aliisve visceribus abdominis, tùm & dolores excitentur in ar-

ticulis

ticulis à lymphæ particulis ſpiſſioribus & malè ſubactis ; in eo caſu inſtituenda catharſis, quæ etiam pro neceſſitate repetenda ad liberandas primas vias liberandumque ſanguinem à ſuccis particuliſque ſpiſſis ; tum deinceps febrifugis præſcribendis commiſcenda incidentia & aperientia, ità pulveri chinæ chinæ miſcetur interdùm ſal ammoniacum, ſal abſintii, tamariſci, cardui benedicti, aut iris florentina, aut crocus martis aperiens; vel etiam pulveri chinæ chinæ addenda purgantia incidentia ut a garicus, jalappa, ſcammonium, quò & potentiùs incidatur materia febrilis ſimulque evacuetur. Ità paratur decoctum febrifugum ut ſequitur,

Rec. *Corticis peruviani pulverati drach. quatuor, rhabarb. contuſi drach. unam & ſemi, agarici inciſi drach. duas, rad. ireos florentin. craſſiuſcule pulverat. drach. duas & ſemi, ſal ammoniac. ſal abſtinth. & tamariſc. ana drachm. unam, flor. camameli manipul. ſemi, ſummit chamædr. & centaurii minor. ana pugill. unum, rad. gentianæ drach. tres. ſimul bull. in aq. font. libr. quatuor per ſemihoram, deindè relinquantur in infuſione pro uſu.*

Hujus decocti ſumuntur in inter-

missione unciæ quatuor semel aut bis singulis diebus & per plures dies quousque cessent accessus ; deindè verò per aliquot dies sumitur illud decoctum ad uncias tres (semel singulis diebus hora ante pastum mediocrem) ne reviviscat Febris intermittens. Vel etiam parantur ad Febres intermittentes cum obstructionibus viscerum abdominis conjunctas fugandas opiatæ febrifugæ aperientes & purgantes. Ità.

REC. *Croc. mart aper. mayali rore parati drachm. tres, chinæ chinæ pulverat. drach. duas & semi, flor. camameli pulverat. drach. duas, rh. el. pulverat. drach unam, agaric. trochiscati drachm. unam, & semi, sal ammoniac. drachm. unam sal tamarisc. & absinth. ana scrupul. duos rad. jalapp. & scammon. pulverat, ana drach. unam, cum s. q. sirup. flor. persicor. f. opiata pro decemdosib.*

Æger sumet hujus opiatæ dosim manè jejuno ventriculo, haurietque horâ elapsâ jusculum cichorio alteratum, continuando per decem dies.

At febrifuga numquàm feliciter succedunt nisi præcesserint missio sanguinis sufficiens, sufficiensque purgatio ; nisique observetur diæta con-

guens ac diù, eiſque obſervationibus poſthabitis infinitas noxas pariunt.

Quæ de febrifugorum in debellandis Febribus intermittentibus adminiſtratione prolata ſunt, de genio materiæ earum febrilis nos admonent, cùm ad Febres continuas curandas iis non adeò vel nulatenus indigeamus; ea autem medicamina relata, quibus intermittentes ità efficaciter impugnamus inciſiva cuncta ſunt & attenuantia tùm & aceſcentibus primarum viarum ſuccis valdè adverſa; ergò in genere materia febrilis intermittentium ſpiſſior eſt & ad aceſcentiam ſæpè vergens continuarum autem fluxilior & ſæpiùs bileſcens; Febris intereà in prioribus non durat niſi per tempus acceſſionis; quod indicare videtur materiam febrilem in foco prædicto hoſpitantem non totam in ſanguinem influere ſed tantùm ejus portionem quæ fluxior facta eſt, dùm ſpiſſior in foco remanet velut immota, quouſque alterius ſubſequentis intermiſſionis elapſo tempore alia portio fluxilis fiat, quæ ſanguini ſuppeditari poſſit ad aliam acceſſionem excitandam & ſic deinceps. Hinc explicatur cur obortis obſtructionibus

in colatoriis in quibus focum intermittentium constituimus Febres hæ adeò obstinatè perennent, quia remanet semper materia spissa in colatorio, quæ pro aliâ accessione præparatur; explicatur etiàm cur continua mutetur in intermittentem, cùm nimirùm liberatur sanguis a materiâ febrili, eaque facta spissior in prædicta colatoria reducitur in quibus statuitur focus; & è contrà intermittens in continuam, cùm nimirùm fluxilior fit materia febrilis magisque multiplicatur, sic ut fluat indesinenter è primis viis in sanguinem plus aut minùs.

Verùm cùm Febres putridæ exacerbant, quod sæpè fit, admittendus est focus in primis viis ut in intermittentibus, ità tamen ut sit assiduò præsens materia febrilis in sanguine & è primis viis indesinenter suppeditata, dùm temporis determinato intervallo præparatur in foco ulterior ejus commeatus, qui sanguini identidem sufficitur. Cumque pet frigus evidens aut magnum incipiunt exacerbationes tunc materia febrilis ulterior in foco progenita spissa est ut in intermittentibus, tuncque ad sistendas eas exacerbationes

chinâ chinâ utendum fermè perindè ac ad curandos accessus febriles. Cùm autem sive exacerbationes continuarum sive accessiones intermittentium incipiunt sine frigore sensibili china china nihil eis proficit, imò plerumque nocet ægrumque excalefacit; quòd in his casibus materia febrilis parùm sit spissa ac multùm acris, ut in capite 5°. docuimus, quam profectò china china efficit activiorem, undè intenditur pyrexia fitque molestior. Quare demonstrante experientia in his casibus à cortice, peruviano abstinedum, ægrique tunc curandi per repetita cathartica diluentia, ut per plures cyathos præscripta aut sub formâ apozematum, quibus apozematis china china interdùm aut febrifugum aliud mite additur vel etiam per apozemata diluentia & febrifuga, aut per infusionem chinæ chinæ ex aquâ fontanâ.



CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Febre Quotidianâ Intermittente.

FEbris hujus negant nonnullli existentiam, ut *Fernelius*, *Platerus*

aliique, cumquè diebus ſingulis obſervatur in ægris acceſſio, Febrem eam dicunt eſſe aut duplicem tertianam aut triplicem quartanam, quas Febres definivimus in capite 2°. Veruntamen utcumque febres, quæ accedunt diebus ſingulis, ità ſe habeant ſæpiùs, ut ſint duplices, tertianæ, febrem tamen quotidianam exquiſitam temerariè negant, cùm ſingulis diebus fermèque horis eiſdem febrem acceſſiſſe in nonnullis ægris non ſemel obſervarim; quæ proindè febris minimè erat duplex tertiana, cùm ex invaſionis acceſsûs horarum diverſitate dici non poſſet primæ diei acceſſionem reſpondere acceſſioni tertiæ diei; & ſecundæ diei acceſſionem reſpondere acceſſioni quartæ diei, & ſic deinceps. Ergò datur reverâ febris quotidiana intermittens licet febribus cæteris intermittentibus rariùs in praxi obſervetur.

In eâ Febri intermiſſio brevis eſt, vixque interdùm obſervatur, frigus acceſſionis non vehemens eſt; & ſemper obſervatur aut in primo gradu qui dicitur refrigeratio, aut in ſecundo qui dicitur horror ſed rariùs (de quibus videatur cap. 5.) vomitus tunc

si quis incidit pituitosus est, incipiente accessione quibusdam accedit animi deliquium, saltem pulsus inordinatus est, & magis quàm in aliis intermittentibus inæqualis itemque tardus parvus & debilis, prætereà vix sitit æger. Pyrexia respondet frigori febrili; nimirùm non est vehemens nec ratione pulsûs qui non est admodùm frequens nec multùm plenus, nec ratione caloris, qui non est vehemens nec acer, quippe observatur humidus; attamen vigente accessione fit aliquantulùm acer & mordax & sæpiùs inæqualis hoc est nunc intensior nunc remissior; ipsa accessio ut plurimũ est octodecim horarum & pauco sudore finitur. Prætereà in eâ febre totum corpus hebescit & grave redditur, ventriculus laborat, vomitu accedente rejicitur materia pituitosa, alvus liquida puituitosaque est, ad somnum magna est propensio, sitis vix ulla, totus morbus sat diù durat resistitque remediis.

Causa hujus febris est materia febrilis (Hospitans in foco determinato in capite de febre intermittente in genere) parùm spissa parùmque acris, unà cum constitutione sanguinis de-

bili, hoc eſt qui particulis activis inops eſt, cujuſque organorum vires truſiles non vegetæ ſunt.

Itaque cùm parùm ſpiſſa ſit ea materia febrilis, non multùm requiritur temporis ut congeratur, ſolvatur, tùm ſanguini accedat, undè brevis erit intermiſſio, & acceſſus ſingulis redibit diebus. 2°. Ab eâ non multùm ſanguis inſpiſſabitur, undè frigus febrile aut in primo aut ad majus in ſecundo gradu. Intereà frigoris hujus tempore nonnullis ejuſmodi ægris accedet animi deliquium, quod non tàm vi materiæ febrilis inſpiſſanti erit imputandum, quàm cardialgiis ſubortis aut ſanguinis conſtitutioni, quæ in eâ febre parum vivida & activa eſſe conſuevit, (hanc vocarunt antiqui pituitoſam) quâ quippe fit ut à materia febrili parùm ſpiſſante motus cordis jàm parùm vegetus in langorem facillimè cedat ſive ob oblatam ei à ſanguine inpiſſato reſiſtentiam quamquàm levem ſive ob fluidum nerveum factum languidius. Hinc etiam explicatur pulsûs debilitas tarditas ac inæqualitas in ejus febris frigore. 3°. Cùm parùm acris ſit materia febrilis, ſan-

guis non multùm agitabitur, tantò magis quò jàm ipſe motu agitativo parùm vegeto erat præditus,& organa ſanguinea parùm robuſta ſunt, undè pyrexia non erit vehemens , & pulſus non erit valdè citatus nec valdè plenus. 4°. Cùm ſanguis non ſit multùm agitatus neque valdè æſtuoſus calor non erit in magno gradu , nec halitus emiſſi è cute admodùm attenuati erunt citòque diſſipati , undè cutis non erit arida & ſicca , ſed ab eis halitibus aliquantùm madida , undè calor percipietur tangenti cutem humidus , nec caloris percipietur acrimonia niſi poſtquàm pyrexia ad vigorem pervenerit , tunc anim cutis humiditas à calore adaucto diſſipabitur , halituſque nonnulli acres ac tenues manabunt è ſanguine , quibus cutis afficietur. 5°. Cùm agitatio ſanguinis non fuerit vehemens , hinc nec ſudoris multum finiente acceſſione manabit. 6°. Et utcumque materia febrilis parùm ſpiſſa ſit , cùm ſanguinis organorumque ſanguineorum vires non magnæ exiſtant , ea lentè atteretur quocircà protrahetur ſatis acceſſio. 7°. Cùm parùm vigeant organorum ſanguineorum vires , parteſque

activæ in ejusmodi ægrorum sanguine partiori copiâ præsentes sint, non tantùm sanguis difficilè meabit fibras carneas, sed & ipsæmet parùm tensæ parumque elasticæ erunt, undè debiles erunt musculi, debiles erunt omnes actiones, hebescetque totum corpus. 8°. Cùm non tantùm ventriculi colatorium, sed & intestinales glandulæ ob constitutionem sanguinis pituitosam in eis ægris materia spissâ ac serosâ scateant, dejectiones erunt fluidæ, undè alvus erit nimis libera & pituitosa, hoc est mucositates frequenter dejicientur. 9°. Cùm in prædictâ ægri constitutione particulæ activæ in sanguine pauxiores sint, fluidum nerveum aut parvâ quantitate aut spissum & serosum secernetur, quo non multùm tendentur substantia alba cerebri & sensuum externorum organa, hinc ad somnum proclivitas. 10°. Cùm serosus sit sanguis nec ob prædictum cerebri statum succique nervei inertiam vegetè tendantur nervi, nec fauces exsiccabuntur nec villi earum nervei multùm tendentur, undè in accessu vivida & molesta non suscitabitur ea sensatio, quæ ad sitiendum

determinat. 11°; Cùm ſucci digeſtivi in eo morbo parùm activi ſint, emendabuntur difficilè digeſtiones, chyluſque craſſus & parùm activus ab eis ſat obſtinatè producetur; præthereà cùm ſanguinis actio parùm ſit vegeta, utcumque per acceſſionem atteratur materia febrilis, plurimùm remanebit in ſanguine particularum ſpiſſarum ac velut crudarum, quæ deriventur aſſiduò in ſtomachi colatorium cæteraque colatoria digeſtiva ad perennandam materiam febrilem, quibus omnibus de cauſis fiet, ut ea febris ſatis obſtinata ſit, diùque reſiſtat remediis.

Cauſæ remotæ aut antecedentes febris hujus ſunt temperamentum pituitoſum; vita quieta otioſa ſomnolenta; ſomnus mox à cibo; alimenta parum ſapida & difficilis digeſtionis; alimenta frigida & humida abundanter ſumpta; victus plenior; refrigerantium medicaminum uſus; ſtomachi imbecillitas diuturna per cibi faſtidium, ructus, & cruditates habituales demonſtrata; ætas ſenilis ob debilitatem actionis digeſtivæ; puerilis propter voracitatem actioniſque ventriculi ad digerendam tantam aſ-

sumtorum molem insufficientiam; sexus fœmineus; hyemalis tempestas; aër nubilus; abundans saliva in ore & insipida. Ex quibus sanè facilè patet, qui pronascatur prædicta sanguinis constitutio & tradita materia febrilis, quæ febrem quotidianam excitant.

Febris quotidiana ex typo suo & præfatis in ejus descriptione symptomatis facilè cognoscitur. Interim in eâ affirmandâ cautus esse debet medicus, cùm quotidiana febris exquisita & jàm descripta haud frequenter observetur, febrisque singulis diebus accedens sæpiùs sit duplex tertiana & interdùm sed rariùs triplex quartana, quocircà accuratè observandæ sunt invasionis horæ sigulis diebus quò verus detegatur typus febris cujusque diebus singulis invadentis, de quibus typis egimus in Cap. 2°.

Causæ ejus remotæ ex traditâ jàm earum expositione satis clarè cognoscentur, nec aliis signis indigent.

Præter autem quotidianam exquisitam de quâ egi, datur etiam quotidiana notha, in quâ nonnulla adsunt ex traditis symptomatis exquisitæ, desunt nonnulla, aliave quædam

dam obſervantur, ut cùm ſitis adeſt, quandò nimirùm ſalſedo materiei febrili pituitoſæ conjuncta eſt, vel rigor quandò aciditas ei complicata eſt ex quâ ſanguis ſubitò & valdè inpiſſatur.

Febris hæc non eſt cum magno periculo proximè imminente, ab eâ ſiquidem non metuendæ multùm inflammationes viſcerum quòd parùm activus ſit ſanguis vaſaque non multùm tenſa ſint ac vegeta; tædioſa tamen ſit & difficilis eſt ſublatu, quòd prædicta ſanguinis conſtitutio à qua fovetur, quæque, videtur cachectica, non emendetur facilè, nec digeſtiones debiles, quæ à tempore antè invaſionem morbi notabili ſubſiſtunt, facilè corrigantur; cùm inſuper ob intermiſſionum brevitatem (ſunt enim ſex circiter horarum & interdùm breviores, imò interdùm breves adeò ut vix dignoſcantur, eaque febris ſedulò non obſervantibus tunc imponat pro continua) non ſatis ſuperat temporis ad mediorum efficaciam experiendam; undè febris hæc ſæpè durat per dies quadraginta, per tres menſes, & ultrà, accerſitque ſæpè aut cachexiam, aut hydropem, aut carum,

eoque reſpectu ſit morbus periculoſus.

Quod verò ad febris quotidianæ curationem ſpectat, nè, quæ jàm de curatione intermittentium attulimus, repetam annotabo tantùm. 1°. Sanguinis miſſionem in eâ non admodùm indicari, quare ſanguinem ſemel fuiſſe miſſum videlicet in pyrexia primæ acceſſionis, aut alterius (ſi medicus morbo incepto fuerit advocatus) ſæpè ſufficiet. 2°. Purgationem valdè indicari, ideò quantocyus in intermiſſione, & quidem ineunte, ob ejus brevitatem inſtituenda erit. Quamobrem cùm materia in ſtomacho turgeat ferè ſemper in ea febre purgandus erit ægèr protinùs per ſuperiora, adhibito nimirùm tartaro ſtibiato, aut, quod præſtantius eſt in eo caſu, Ipecacuanha; quæ radix præter vomitum materiæ pituitoſæ quem apprimè ciet, in receſſu colatorium ſtomachi roborat, meliùſque incidit materiam pituitoſam in eo hoſpitantem eamque immutat docente experientiâ. Cùm ità æger per ſuperiora purgatus fuerit, cathartico purgabitur (ſemper autem ineunte intermiſſione imò interdùm ſub finem acceſſionis quandò intermiſſio

brevissima est) sub forma potionis paratæ ex senna, rhabarbaro, tartaro solubili, aut sale absinthii vel tamarisci, scobe santali citrini, manna aut sirupo florum persicorum, aut rosato solutivo & similibus, potionis autem unicus erit cyathus. Et catharticum in alia imò in tertia intermissione erit repetendum. Ità.

Rec. *Senn. mundat. drach. duas, rh. el. contusi scrupul. duos, tartar. solubil. drach. unam. inf. in s. q. aq. font. ad unc. sex, in quibus dissol. mann. calabr. unc. duas, cola. f. p. sumend. hora congruâ.*

Vel, si sanguinis constitutio vergat ad Cachecticam, suspiceturvè stomachus minùs actuosus, & aliquantùm hebes.

Rec. *Senn. mundat. drach. unam & semi, vel drach. duas, rh. el. contus. & scobis santal. citrini ana drach. unam, sal. vegetabil. scrupul. duos, inf. in s. q. aq. font. & in colatur. unc. sex dissol. mann. Calabr. unc. unam & semiss. cola iterùm & dilue sirup. flor. persicor. unc. unam, f. p.*

Vel, si constitutio sanguinis manifestè sit Cachectica, stomachus autem videatur sensu obtuso præditus, & materiebus pituitosis onustus.

Rec. *Senn. mundat. drach. duas, rh. el. contusi & scobis santal. citrin. ana drach. unam, sal. absinth. vel sal. tamarisc. scrupul. unum summitat. chamædrios pugill. unum, inf. in s. q. aq. font. & in colatur. unc. sex dissol. mann. Calabre. unc. unam & semi, & dilue sirup. rosar. solutivi unc. unam vel adde aq. novem infusion. rosar. pallidar. unc. unam, f. p.*

Valent multùm in eâ febre, cùm est obstinata, simulque æger robustis visceribus præditus est, & vergit ad cachexiam, agaricus, mecoacanna, turpethum; tum & quoque electuarium diacharthami, caryocostinum, diaphænicum, electuarium indum, extractum panchymagogum pilulæ de agarico, pilulæ de hiera cum agarico, trochisci alhandal; imò & Kermes mineralis. Quæ quidem purgantia juxtà Medici prudentiam erunt eligenda, justâque dozi præscribenda. 3°. Notandum expurgato satis ægro ad febrifuga esse tanseundum. Cumque intermissio brevis sit Kina Kina bis tantùm in eâ exhibebitur sed quàque vice dosi majore, ut res compensetur, quare dosis hujus pulveris tunc erit drachmæ unius & semi aut drachmarum duarum imò primæ dosi op-

timum erit nunc addere rhabarbari pulverati drachmam ſemiſſem, nunc ſalis ammoniaci grana decem, vel grana octo ſalis abſinthii aut ſalis tamariſci, vel grana quatuor aut ſex ſalis tartari. At ſi prædictis febrifugis morbus non cedat, præſcribenda erit opiata ſequens, ut optimum remedium.

Rec. *Conſervar. enul. campan. & flor. antos ana drach. quatuor, ſal. ammonia. & abſint. ana drach. unam & ſemiſſ. milleped. præparat. drach. duas, chinæ pulverat. drach. tres, caſſ. ligni. rad. irid. florent. & agaric. trochiſcati ana ſcrupul. quatuor, flor. camæmeli pulverat. drach. duas. Cum ſ. q. ſirup. de abſint. f. opiata pro uſu, cujus doſis drachmæ duæ in intermiſſione per plures exhibendæ dies.* Circà reliqua videatur curatio generalis Febrium intermittentium.



CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De Febre Tertianâ Intermittente.

FEbris hæc inter intermittentes frequens ſanè obſetvatur, & diſ-

tingui ſolet in exquiſitam ſeu legitimam, notham, & extenſam. Cùm exquiſita eſt incipit acceſſio per rigorem cui ſenſus punctionis in variis corporis partibus ſæpè adjunctus eſt, ſub finem rigoris vomitus interdùm ſupervenit bilioſus; in principio acceſſionis pulſus parvus eſt & contractus, rigor ſtatim ac ceſſat pulſus fit mox celer & validus nec multùm inæqualis; pyrexia tùm ſuccedit cum pulſu amplo & valido, calore acri & intenſo deurente velut in febre ardenti, cujus æger impatiens ſe denudare ſatagit, ſudores citò accedunt in pyrexiâ, quæ tandem finitur per ſudorem copioſum. Prætereà in pyrexia tertianæ exquiſitæ caput valdè dolet, accedit ſæpè delirium, reſpiratio fit magna & difficilis, ſitis divexat ut & in rigore, urina ſæpè flammea eſt aut flava, fit interdùm vomitus bilioſus ſed rariùs quàm ſub finem rigoris, venter ſolvitur & dejicitur materia bilioſa. Pluribus eâ febre laborantibus poſt primam au ſecundam acceſſionem ſupervenit Icterus. Vigiliæ oris amaritudo & ſiccitas ſunt etiam hujus febris ſymptomata frequentia. Acceſſio tertianæ exquiſitæ ultrà horas duodecim non

extenditur, nonnunquàm novem & septem horis & citiùs terminatur. Totus morbus septimo circuitu solvi solet & interdùm tertio aut alio antè septimum circuitum; undè tertiana exquisita diuturna non est & sapit naturam morbi acuti, cùm magnis ac vehementibus symptomatis stipata decimo quato die aut anteà terminari soleat. Cùm accessio ultrà horas duodecim extenditur, ea febris nuncupatur *tertiana extensa*; cujus accessiones per viginti quatuor horas sæpè durant, imò & ultrà extenduntur.

Accidunt tertianæ frequenter æstate & in regione aut constitutione cœli calidâ, ætate juvenili, eosque potiùs invadunt qui temperamento bilioso præditi sunt, aut qui corpus exercent, quàm qui pituitoso aut qui vitam degunt quietam & otiosam, sicut & eos qui diù vigilant aut inediam patiuntur.

Tertianæ nothæ accessiones incipere solent cum frigefactione, rariùs cum rigore, calor succedens non adeò vehemens est, neque confestim per totum corpus diffunditur, non copioso sudore solvitur accessio sed halitibus

quibusdam humidis, seu madore, urina in pyrexia non est adeò ignea, pulsus est durus, accessiones longiores esse solent quàm in exquisita tertiana, morbusque totus diuturnior est. Tertiana notha licet juvenes potissimùm invadat, eos tamen non afficit temperamento bilioso præditos, sed qui inordinatâ diæta utuntur.

Causa tertianæ exquisitæ est materia febrilis in foco hospitans valdè spissa, quæ in sinu suo gerit abundanter particulas duras plurimùmque activas, ac velut naturæ biliosæ materiei spissæ ac valdè acris; unà cum constitutione sanguinis spissi per siccitatem & aliqua acrimonia præditi sed vegeti & in organis sanguineis robustis circulantis.

Itaque 1°. accedente è primis viis in sanguinem eâ materia febrili, is valdè & subitò inspissabitur eò magis quo jam siccus est & spissus; undè magna inferetur cordi resistentia, quare pulsus parvus erit tunc & contractus seu depressus; cumque in eâ tantâ inpissatione motus agitativus sanguinis admodùm sit imminutus, frigus magnum occupabit corpus, cùm

autem vires cordis cæteroquin ſint hominis robuſti, eæ valdè nitentur in ejuſmodi ſanguinem, qui velut per fila infinita in arteriarum minimarum curvaturas & inflexiones urgebitur, undè rigor (prout in capito 5°. explicatum eſt) ex eiſdem impulſibus validis excitabuntur etiam inflexiones tenſivæ in eiſdem arteriolarum curvaturis, undè punctionis ſenſus in tali rigore per varias corporis partes diſperſus. 2°. Cùm eodem tempore materia febrilis in foco fluxilior facta in ventriculi cavum indeſinenter eructetur, nec eâ proportione in inteſtina amandetur quâ à ventriculi ductibus excretoriis depluit (nimirùm ob viſcoſitatem) portio ejus in ventriculi cavo cumulabitur, cùm autem ob moram aliquam in eo corrumpatur facilè utpote particulis acribus & activis dives acrimoniâ ab ſpiſſo citò ſe expediente, ea materia facta valdè acris membranam ventriculi nerveam valdè laceſſet, undè vomitus & ejus præcurſoria Cardialgiæ, nauſeæ, animi interdùm deliquia. Hæc ergò per vomitum rejicietur (& quidem ſub finem rigoris utpote tunc

tandem ſatis cumulata) & uti eſt nimirùm ſub ſpecie materiei ſpiſſæ flavæ aut virideſcentis, ut plurimùm amaræ, & interdùm in quâ dominatur aceſcentia mixta amarori, interdùm in quâ indiſcriminatim æger percipit ſimul & aceſcentiam & amarorem; quæ quidem materiæ vomitu rejectæ bilis nomen vulgò accipiunt ob ſimilitudinem cum bile, licet nunquàm ab hepate aut veſica fellea proceſſerint, nec billis hepatica aut veſicæ felleæ acida unquàm ab aliquo fide digno deprehenſa fuerit per guſtum. 3°. Cùm ea materia febrilis particulis duris & activis plurimùm fæta ſit, eæ per circulationes ſanguinis rigoris tempore repetitas difficiles utcumque & laborioſas cumque villorum nerveorum aliorumque contractilium tenſione magnâ & irregulari ſucceſſione peractas ſoluto aliquantùm viſcoſo abundanter protinùs expedientur, citòque ſanguis agitabitur & rareſcet; undè pulſus è debili & contracto citò fiet celer & validus, imò æqualis, quòd acris portio materiæ febrilis vividè agens ſanguinis ſpiſſitudinem ubique tollat,

tuncque adeſt pyrexiæ initium. Verum cùm exſoluta ſemel è viſcoſo portio ea acris ſanguinem vehementer commoveat & in magnam rarefactionem concitet, de cætero organa ſanguinea robuſta ſint, ſuccedet pulſus amplus & validus (& tunc adeſt augmentum & ſtatus pyrexiæ) cum calore accenſo & acri & aliis conſectariis dolore capitis magno, vigilia, interdùm delirio, oris ſiccitate, ſiti, reſpiratione magnâ & difficili, urina flammea aut flava, ut cùm de febre ardente agebamus explicatum fuit. In eâ autem excandeſcentia frebrili aliquid materiæ febrilis in ventriculi cavo relictum cùm ſolvatur acriuſque exindè fiat, inſimul cùm ventriculi tunicæ incaleſcant tendantur fiantque ſensûs exquiſitioris, tunica ejus nervea eò uſque irritabitur, ut producatur vomitus tempore pyrexiæ materiei bileſcentis huic febri familiaris; qui tamen non accidit niſi cùm materiei hujus febrilis portio ſpiſſior in ventriculo poſt rigorem remanſit. Pariter ea materia bileſcens in ventriculo & inteſtinis partim relicta ob ſimiles rationes mittitur per alvum vi-

gente pirexiâ interdùm. Sive autem quod materia ea bileſcens è ſanguine ſecreta ſalivam inquinet, ſive quòd è ventriculo eleventur per Æſophagum vapores bileſcentes, os amareſcet. 4°. Cùm materiei hujus febrilis portio acris in orgaſmo febrili ſanguinem plurimùm ſolvat, multùm expedietur ſeri lixivioſi tenuis; cùmque ab agitatione ſanguinis & impetuoſo motu progreſſivo aperiantur multùm cutis pori organumque ſecretorium, hinc citò prolicietur ſudor in pyrexia, qui factus tandem copioſus acceſſionem ſolvet, attenuatâ nimirùm vividè materia febrili ac per cutem cum ſero lixivioſo ſub forma ſudoris diſſipatâ. 5°. Icterus, qui poſt primam aut ſecundam acceſſionem nonnumquàm ſupervenit, bili per excandeſcentiam febrilem exſiccatæ & factæ ſpiſſiori, quæ colatorium hepatis deinceps obſtruat alteriuſque è ſanguine ſecretionem impediat, quâ ſanguis conſequenter abundet minùs cum nonnullis imputandus, quàm materierum bileſcentium abundantiæ in ventriculo, ut diximus, pro genitarum quibus ſanguis inficitur ubertim in acceſſione producendâ; à motu enim

enim febrili ea materia bilescens equidem in accessione corrigitur & attenuatur, imò per sudores partim dissipatur, ità ut deindè sanguis per capillaria vasa ubiquè liberè fluat, cessetque accessio intermissione accedente; verùm in intermissione remanet interdùm plurimùm hujus inquinamenti, quo sanguinis serum tingitur colore croceo undè Icterus. Præterquam quòd enim bilis in sanguine formaliter non est (ut satis in physiologia evihimus) hepar post primam aut secundam tertianæ accessionem obstrui gratis affirmatur, cùm alioquin per tactum viscus illud infarciri non percipiamus saltem post primam aut secundam accessionem. Et icterus mox à morsu viperæ aut ex violento animi pathemate per corpus diffusus arguit ne hepar intrà paucum adeò tempus fuisse obstructum, & eò usque ut bilis abundans in sanguine regurgitet? Prætereà in febre ardente in quâ seri multùm dissipatur, non videmus hepar à bile obstrui, nec Icterum succedere adeò consuevisse ut in tertianâ intermittente. 6°. Cùm ea materia febrilis plurimùm actuosa sit, robustaque existant orga-

na ſanguinea, ut in juvenibus, ideò non multùm inſumitur temporis in attenuanda diſſipandaque materia febrili, ideò non diù durat acceſſio, quæ ut vehemens eſt ità & non diù protrahitur, nec ultrâ horas duodecim extenditur, & interdùm intrà horas ſeptem vel octo terminatur. Eamdem oberationem totus morbus brevi terminatur, nec unquàm eſt chronicus, ut ſæpè ſunt aliæ febres intermittentes; nam tertianæ exquiſitæ materia febrilis, licet ſpiſſa, gerit in ſe acrimoniam ſolventem, undè colatoria digeſtiva non infarciuntur inerti ſucco & reſiſtenter diù, ſed ſucco morboſo, qui fluxilitatem in ſuâ totalitate facilè recuperare poteſt, ſic ut intrà non longum tempus colatoria ab eo penitùs expediantur ac liberentur, ceſſetque morbus. Cùm autem evenit tertianæ acceſſiones ultrà horas duodecim ac diù durare, febremque exinde dici tertianam extenſam; illud fit aut quòd materia febrilis uberrima eſt, aut quòd ſpiſſior, aut quòd ea febris eſt in corpore parùm robuſto. Et cùm febris tertiana pluſquàm ſepties accedit, & diù durat reſiſtique remediis ea no-

tha ſemper eſt, cujus ſanè materia febrilis particulis activis minùs eſt referta, nec eſt in corpore bilioſo aut robuſto ut tertiana exquiſita. Propterea tertianæ nothæ materia febrilis non adeò meabilis eſt, neque ab eâ liberantur citò ac penitùs colatoria digeſtiva, morbuſque durat diutiùs.

Tertianæ exquiſitæ cauſæ remotæ eædem ſunt ac intermittentium in capite 12°. relatæ ſed agentes in corpore juvenili, & bilioſo, in cæli conſtitutione calidâ æſtate potiſſimum, in corporibus exercitiis magnis deditis aut inediam paſſis, aut vigiliâ vino liquoribus ardentibus vel aromatibus ex calefactis, in his namque caſibus pronaſcitur materia febrilis bileſcens ſuperiùs expoſita unà cum ſanguine ſicco acri robuſto facilè excandeſcente, quæ quidem febrem tertianam exquiſitam producunt, ut patet ex præfatis, ut & extenſam.

Cauſæ remotæ tertianæ nothæ ſunt etiam cauſæ generales intermittentium, ſed quæ non agunt in memoratis corporibus nec in jàm expoſitis circumſtantiis aut conditionibus.

Tertiana exquiſita, extenſa, & no-

tha typum eumdem habent, alternis namque diebus hora determinatâ invadunt; tùm signa earum febrium in earum descriptione tradita sunt, quare ex his omnibus cognoscentur & distinguentur ab aliâ quâcumque.

Tertiana exquisita cæteris intermittentibus in genere minùs periculosa est, minùsque affert tædii in sui sanatione. Non tamen periculo vacat, præterquàm enim quòd in rigore animi deliquio æger occumbere potest sive ob cardialgiam vehementem sive ob copiam materiæ febrilis sanguinem ultrà modum inspissantem cum algore seu quarto frigoris febrilis gradu subsequente, tanta discusso rigore supervenit nonnumquàm sanguinis rarefactio, ut inflammentur aut cerebrum aut pulmones aut alia viscera, undè perit æger aut sopore aut suffocatione, aut animi deliquio, aut inflammationi succedente suppuratione visceris alicujus. Tertiana extensa cæteris paribus priori est periculosior ob durationem accessionis, intermissionisque brevitatem.

Tertiana notha periculum affert juxtà naturam symptomatum quibus

ſtipatur & circumſtantias alias febribus intermittentibus communes ; difficiliùs tollitur exquiſitâ, pluſque tædii affert in ſui curatione.

Præter ea quæ in curatione generali intermittentium attulimus, animadvertendum 1°. in rigore tertianæ exquiſitæ ægros à potu, utcumque ſitiant, abſtinere debere ſecùs rigor vehementior fit & diuturnior, tùm ſuccedit pyrexia vehementiſſima & cum majori periculo ; cùm tamen ſitim minimè ferre poſſunt, ii ægri potandi parumper ſed aqua tepidâ vel calidâ, vel aquam tepidam in ore voluere tantùm debent. At in pyrexia liberaliter erunt potandi ac eodem modo eiſdemque liquoribus, quos in capite de febre ardenti præſcripſimus, metuenda namque impenſa ſanguinis rarefactio. 2°. In pyrexia non omittenda erit ſanguinis miſſio ſive è brachio ſive è pede juxtà ſymptomata, imò in altera aut etiam tertiâ pyrexia ut plurimùm iterari ſolet. In tertiana notha miſſioui ſanguinis non adeò indulgendum ac in legitimâ, niſi ſimptoma aliquod eam repeti pluries exigat. In tertiana extenſa ſan-

guis in pyrexia eadem interdùm bis mittendus. Imò cùm æger juvenis est robustus & pletoricus mittitur sanguis in intermissione, ut deinceps accedente paroxysmo non adeò divexetur. 3°. Purgantia quibus utendum erit in tertiana exquisita sunt potissimùm tamarindi, senna, rhabarbarum, manna, flores persicorum, syrupus de cichorio compositus; abstinendum autem à phlegmagogis & hydragogis, quare non adhibebuntur agaricus, jalappa; & similia, ea namque nimis irritant, tùm materia nimis peccat acrimonia & satis obsequiosa est purgantibus. In nonnullis tamen potio purgans acuetur granis duobus aut tribus tartari stibiati, vel etiam præscribetur Ipecacuanha, præsertim quibus rigor magnus in accessionis principio advenerit, quique de cætero robusti sunt, nec in eis quicquam emetico contradicit; tunc enim materia febrilis valdè spissa est aut abundans, undè potentioris medicaminis exigit promptam efficaciam; secus vim cathartici mediocris elusâ actione, altera succedere posset accessio, quæ sive ratione rigoris vehementis vel

ſuccedentis pyrexiæ intenſæ ægrum in periculum conjicere poſſet. Ubi notandum ægros ejuſmodi ſub potionis forma ſemper eſſe purgandos, imò vehiculo abundanti adhibito eòque ſæpè potionis purgantis cyathos duos eſſe præſcribendos; quarum potionum varias formulas in prægreſſis capitibus ſatis tradidimus, ut eas híc repetere minimè neceſſum judicemus. In tertiana verò notha fortiùs eſt purgandum, undè præter prædicta adhiberi etiam poterunt potentiora purgantia & præſertim Agaricus, imò tartarum emeticum addetur audaciùs potioni purganti. 4°. In tertiana exquiſitâ febrifuga vehementia, valdè calefacientia, apperitiva, non præſcribentur ſed mediocria, ut præſertim cortex peruvianus & flores camæmeli, imò hæc interdùm præſcribentur in infuſione imprimis in corporibus ſiccis aut queis æſtuabunt abdominis viſcera aut pulmones aut viæ urinariæ, quin & temperabuntur nonnumquàm aut aqua pulli gallinacei aut ejus juſculo aut emulſione, aut melle Narbonenſi, aut ſirupo capillorum veneris. Vitabuntur autem

agaricus, radix ireos florentinæ, salia febrifuga, centaurium minus, radix gentianæ, & similia. Itaque.

REC. *Cortic. peruvian. pulverat. drach. unam, dilue in aq. font. unc. duab. f. haustus, quater aut quinquies in intermissione repetendus, relicto quatuor circiter horarum inter illos haustus intervallo.*

At si rigor accessionis extiterit vehemens.

REC. *Cortic. peruvian. pulverat. drach. unam, flor. camæmeli pulverat. scrupul. unum, dilue in aq. font. unc. duab. f. haustus quater aut quinquies in intermissione similiter iterandus.*

Si autem incassùm adhibito eo ultimo remedio, accessio iterùm redierit cum intenso rigore, tunc ad catharticum adhuc confugiendum, & in intermissine sequenti remedium sequens usurpabitur.

REC. *Flor. camæmeli pulverat. drach. unam, cum aq. font. unc. duab. f. haustus ter aut quater in intermissione exhibendus.*

At si metuantur æstus & acrimonia à febrifugo inferenda, ut in jàm memoratis casibus corporum siccorum, viscerum abdominis calidorum pulmonum debilium, aut viarum urinariarum irritatarum vel excalefactarum.

REC. *Cortic. peruvian. pulverat. drach. tres aut quatuor bull. per horæ quadrantem in aq. font. libr. una & ſemiſſe, dein inf. frigidè per horas ſex aut duodecim f. infuſum pro tribus aut quatuor doſib. in intermiſſione ſumendis, relicto inter eas quatuor aut quinque horarum intervallo.*

Vel, ſi temperanda magis adhùc febrifugi activitas loco aquæ fontanæ uſurpabitur aqua pulli junioris ut ſimilis paretur infuſio.

Vel, ſi adhùc magis edulcorandum febrifugum.

REC. *Pullum gallinaceum exenteratum, cortic. peruviani pulverat. drach. unam aut drach. duas bull. per horas tres cum ſ. q. aq. font. f. juſculum in intermiſſione ſumendum, quod in eadem intermiſſione iterari poteſt.*

Verùm ea formula rarò locum habet.

Vel etiam, cùm temperanda eſt corticis peruviani acrimonia ſequens parabitur mixtura quæ ſæpiùs feliciter ceſſit.

REC. *Cortic. peruvian. drach. tres, mellis Narbonenſis unc. duas. f. opiata in tres doſes divid. quæ in intermiſſione exhibebuntur.* Vel.

REC. *Cortic. peruvian. pulver. drach. tres aut quatuor mell. Narbon. & ſirup. capillor. vener. ana unc. unam. f. opiata*

pro tribus aut quatuor dosib. in intermissione sumend.

Vel si ulteriùs metuatur æstus à febrifugo inferendus.

REC. *Semin. quatuor frigid major. mundator. drach. sex aut unc. unam, terantur in mortar. marmor. sensim offundendo aq. font. libr. duas, paretur emulsio, in quâ bull. per horæ quadrantem cortic. peruvian. pulverat. drach. tres vel quatuor inf. deindè frigidè per horas aliquot, paretur infusum pro quatuor aut quinque dosibus tempore intermissionis exhibendis.*

At in tertianâ notha in usum vocari poterunt potentiora febrifuga, si morbus mediocribus non cedat, sed cùm cautionibus requisitis. 5°. Verùm cùm tertianæ Icterus supervenerit, tunc præcribentur apozemata diluentia febrifuga & leviter purgantia, quæ parabuntur ex cichorio amaro hortensi, vel cichorio sylvestri, pinpinella hortensi, radice oxylapathi, radice enulæ campanæ, scolopendrio, camæmelo inodoro, floribus persicorum, floribus camæmeli, rhabarbaro, cortice peruviano, cascarilla, sirupo florum persicorum, sirupo de cichorio composito, & similibus. Ità.

REC. *Cichor. amari hortens. & pin-*

pinell. hortenf. ana manipul. unum, ſcolopendrii fol. nº. tria, camæmel. inodori & flor. perſicor. ana manip. ſemiſſ. cortic. peruvian. pulver. drach. duas. bull. cum ſ. q. aq. font. per horam ad libr. unam cola pro duab. doſib. in quarum primâ dilue ſirup. de cichor. compoſiti unc. unam & ſemi. & in ſecundâ doſi dilue ſirup. de cichor. ſimplicis, vel ſirup. capillor. vener. unc. unam f. apozema pro duab. doſibus. quarum primam æger ſumet mane jejuno ventriculo & ſecundam hora quarta aut quinta pomeridianâ. Uteturque iis apozematibus per tres dies, imò per quatur & ſex ſi caſus exigat.

Vel, ſi ad prædictas indicationes adimplendas potentior apozematum requiratur activitas additâ vi aliqua aperiente.

REC. *Rad. oxylapathi unc. unam. rad. enul. campan. drach. duas, cichor. ſylveſtr. & pinpinell. ana manipul. unum, fol. ſcolopendr. nº. tria, cancros fluviatil. vivos contritos nº. duos, mille pedes lotos vivos contritos nº. decem vel duodecim, flor. camemel. & perſicor. ana pugill. duos, rhabarb. contuſi drach. unam, cortic. peruvian. & caſcarill. craſſiuſculè pulverat. ana drach. unam & ſemi. bull. cum ſ. q. aq. font. per horam ad libr. unam cola pro duab. doſib. in quarum prima dilue ſirup. flor. perſicor. unc. duas, & in ſecunda doſi dilue ſirup. quinque ra-*

dic. aparient. unc. unam. f. apozema pro duab. dosib. quarum primam æger sumet mane jejuno ventriculo & secundam hora quartá pomeridianâ; protrahendo apozematum horumce usum per tres, & si casus exigat per quatuor, imò interdùm per sex dies.

Dùm autem his utitur æger apozematibus, china china nihilosecius aliis horis & per vices requisitas exhibebitur, si accessiones febris tertianæ contumaciùs redeant.

Quod ad cætera videatur in cap. 12°. Curatio generalis intermittentium.



CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De Febre Dupl ci Terniana Intermittente.

IN eâ febre redit singulis diebus accessio, itá tamen ut, quoad horam accessionis reditûs, accessiones sibi diebus alternis respondeant, vel etiam (quod contingit rariùs) alternis diebus duplex accedat paroxysmus,

mus, prout in capite 2°. fuit expositum. Eea autem febris ut frequens in praxi obſervatur, ità & duplex quotidiana, duplex aut triplex quartana raro obſervantur. Duplicis tertianæ acceſſiones, quæ ſibi imparibus diebus reſpondent, videntur ſæpiùs interſe ſimiles, ut & acceſſiones quæ diebus paribus contingunt; non autem ſimiles videntur adeò acceſſiones dierum imparium cum acceſſionibus dierum parium comparatæ, ità ut interdùm acceſſiones dierum imparium vehementiores ſint vel longiores, & è contrà dierum parium.

Cauſa hujus febris videtur materia febrilis in ſtomachi colatorio ità hoſpitans, ut portio ejus alternis diebus è quibuſdam & determinatis ductibus excretoriis eructetur, alia autem ex aliis ductibus excretoriis diebus intermediis adeòque alternis depluat in ſtomachum. Quapropter ea materia febrilis ſeu duplex conſiderari poterit tùm ratione diverſæ portionis colatorii eâ infarctæ, tùm & ſæpè ratione propriæ indolis & quantitatis, ità ut acceſſiones determinatæ vehementiæ & durationis ab unaquaque materiâ fe-

brili pronaſcantur ; quod mirùm ſanè videbitur, ſi conſideretur conſtantia reditûs acceſſionis eâdem hora diebus alternis tùm imparibus tùm paribus contingentis, & ſimilitudo quæ obſervatur plerùmque acceſſionum dierum alternorum, dùm in eo morbo ſingulis diebus excitatur acceſſio.

Febris hujus acceſſionum ſymptomata nunc febris tertianæ exquiſitæ nunc nothæ ſymptomatibus præter propter ſimilia ſunt ; undè patet indoles hujus morbi materiæ febrilis, quæ proindè non eadem ſemper eſt nec eâdem quantitate evoluta & ſuppeditata è foco ad acceſſionem excitandam ; ex quibus duabus circumſtantiis traditur facilè explicatio ſymptomatum variorum in ægris diverſis aut in eodem ægro ſed in acceſſionibus quæ immediatè ſibi ſuccedunt, durationis diverſæ acceſſionis, vehementiæ ejus diverſæ.

Cauſæ remotæ ſunt eædem ac ſpecierum tertianæ, ex queis tamen totum colatorium ſtomachale non afficitur æquabiliter ſicut in tertianis ſimplicibus, quod ſive ex agendi modo cauſarum remotarum, ſive ex diſpo-

ſitione colatorii repetendum.

Diagnôſis ex capite 2°. tùm eis, quæ jàm in hoc dicta ſunt facilè ſtatuitur.

Prognôſis & curatio ex capite 12°. de intermittentibus in genere & 14°. de tertiana febre facilè eruentur. Quare ad quartanam properamus.



CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De Febre Quartana Intermittente.

FEBRIS Quartanæ cujus typum & periodum in Capite 2°. tradidimus, acceſſiones incipiunt cum oſcitatione, pandiculatione & moleſta quadam totius corporis inæqualitate, quas ſequitur refrigeratio vel horror, rigor autem in morbi progreſſu, qui tandem magis progredienti in dies morbo fit vehementiſſimus; ſed in quocumque gradu fuerit frigus febrile in quartana id non invadit ſubitò ſed

paulatim increſcit donec pervenerit ad ſuum terminum, veluti cùm quis hyemali tempore refrigeratur; cùmque æger afficitur rigore ſenſu afficitur non rei pungentis ut in tertianâ ſed gravantis ac velut contundentis, imò, præſertim quandò rigor vehemens fit, quaſi confringentis oſſa, quos dolores græci vocant *Oſteocopos*. Accedente Pyrexia calor paulatim ſuccenditur, & in principio caloris frigus aliquod velut admixtum eſt, neque ut in tertianis adurens fit ac æſtuoſus ſed ſub miſſus terminatur tandem acceſſio ſudore exiguo primis diebus ſed copioſiori in progreſſu morbi & tunc pyrexiæ calor intenſior extitit; ſuccedit deinde apyrexia ſeu intermiſſio longa in quâ ægri ſæpe non videntur ullatenùs ægrotare & ad conſueta negocia redeunt. In eâ febre pulſus minùs frequens minuſque velox eſt quàm in aliis intermittentibus, tempore frigoris febrilis plurimùm depreſſus eſt & magis inæqualis quàm in cæteris intermitttentibus imò interdùm languidus eſt rarus & tardus, & licet in pyrexia fiat frequens magis & velox, is numquàm impetuoſus evadit & valdè frequens & inæ-

qualitatem aliquam ſemper ſervat. Bilem non vomunt febre quartana affecti ſed interdùm ſub finem frigoris aliquid ſpiſſi, quod tamen raro evenit. In morbi principio urina tenuis eſt & aquea, in ejus autem progreſſu colorata fit ſatis & craſſior. Sitis, calor, dolor capitis, vigilia non adeò divexant ac in tertianâ, magis autem quàm in quotidianâ Paroxyſmorum durationes ferè ut tertianæ interdùm longiores. Totus morbus diù durat per menſes nimirùm imò per annos, difficilèque cedit remediis, tunc obſtructiones viſcerum cùm inveteraſcit accerſere ſolet, è quibus morbi plurimi graves.

Cauſa hujus febris continens eſt materia febrilis ſpiſſa ſatis & lenta, quæ in ſe plurimas non gerit particulas acres & activas, unâ cum ſanguinis diatheſi quæ ad lentorem vergit, particularumque activarum penuriam, ſeu vappeſcentiam.

Quamobrem 1°. cùm ea materia in ſtomachi colatorio congeſta propter particularum activarum paucitatem, difficilè ac lentè liqueſcat ideò velut torpida in eo diù manebit, undè lon-

ga erit intermiſſio, & pluſquàm dies duo inſumentur ad ejus liquefactionem, quò per ductus excretorios in ventriculum depluat, indeque ſtatuetur periodus quartanæ. Cùm itaquè lentè ſolvatur fluxilitatem in ſuâ totalitate non ſimul adipiſcetur, undè portio quæ fluxilior in principio facta fuerit in ventriculum depluet in ſanguinem tranſitura, ergò ſanguis in principio acceſſionis parùm inſpiſſabitur ità ut accedat levis refrigeratio cum lento ſanguinis per pulmones & muſculos transfluxu adeòque oſcitatione pandiculatione moleſtaque totius corporis inæqualitate ſeu obſcura quadam anxietate. At cùm materia ea febrilis liquefacta ſegniter è colatorio ventriculi diffluat ac velut per portiones, ideò ſanguinis inſpiſſatio augeſcet gradatim adeòque ſimiliter frigus febrile uſquè ad horrorem & non ultrà in morbi principio eò quod ſanguis non inſpiſſetur ſubitò & à magna quantitate materiæ fedrilis accedentis ut in febre tertianâ, proindeque per vaſa capillaria non impediatur adeò ad transfluendum. Verùm in morbi progreſſu cùm ea materia febrilis è

colatorio per congeſtiones repetitas dilatato uberiùs & promptiùs profluat, ideò ſubitò & abundanter in ſanguinis vias traſibit, eâ ſubitò & adeò inſpiſſabitur ſanguis ut in acceſſionis principio excitetur rigor. Jàm verò cùm in febre quartanâ laborantibus ſanguis jàm lentus ſit & ſpiſſus, tùm vires cordis & vaſorum ſanguineorum non ſint vegetæ ideò tempore rigoris multùm inſpiſſatus ſanguis difficillimè vaſa minima percurret in eiſque multùm hærebit, undè ſenſus moleſtus gravaminis & contuſionis in toto corpore; in perioſtæis autem utpote membranis valdè ſenſibilibus ac tenſis ſenſus is excitabitur vividior ſi rigor intenſior extiterit, qui ſenſus ad oſſa relatus dolor eſt *Oſteocopos* hoc eſt oſſium frangitivus.

2°. Cùm vires cordis & ſanguiferorum imò & ſanguinis ipſius vegetæ non ſint, cùm aliundè particulæ activæ paucæ ſint in eâ materia febrili, & ſanguis & materia febrilis non ſubitò ſed paulatim ſolventur, undè pyrexiæ calor paulatim accendetur, imò in ejus principio frigoris ſenſus identidem aliquis cùm calore admixtus erit,

quòd in capillaribus nonnullis ſanguis adhuc ſit inſpiſſatus. Cùm autem circulationibus repetitis materia febrilis erit ſoluta, quoniam nec in eâ nec in ſanguine ipſo abundant particulæ acres & activæ, ſanguis non admodùm rareſcet nec æſtuabit ut in tertianâ, undè calor ut in eâ haud excitabitur intenſus ac deurens, is autem erit ſubmiſſus; pulſus pariter nec magnus erit nec impetuoſus nec valdè frequens, inæqualis autem percipietur quòd ſanguis homogenè non ſolutus ſit ob virium perfectè & vehementer ſolventium defectum. Pariter in frigore febrili cùm vires ſanguinis truſiles in febre quartana affectis jàm debiles ſint & aliundè ſanguis à materia febrili ſat inſpiſſetur, ea ſatis ſuccumbent, quare pulſus ſat depreſſus erit & inæqualis imò magis quàm in cœteris intermittentibus, quin & interdùm langueſcet adeò, ut rarus percipiatur & tardus; & ſic in genere in eâ febre pulſus eſt minùs frequens minùſque velox quàm in cæteris intermittentibus, ſed magis inæqualis.

3°. Cùm itaque in eâ febre minùs exagitetur ſanguis minùſque rareſcat

& incalescat, patet etiam sitim, dolorem capitis, agrypniam non adeò ægrum divexatura.

4°. Quod vero materia febrilis in ventriculi colatorio congesta fluat sub finem intermissionis in ejus visceris cavum non subitò sed per portiones eaque (ut patet ex præfatis) acrem & bilescentem non referat indolem, sed parùm activam & pituitosam, ea profectò nec rationes quantitatis nec ratione qualitatis ventriculi tunicæ nerveæ molesta erit (ut ex rationibus contrariis molesta fit in febre tertiana) ideò & ingruente accessione & posteà rarò continget vomitum excitari, ex quo, cum excitabitur, materia non bilescens non multùm sapida sed viscida tantùm lenta à veteribus *pituitosa* appellata rejicietur, qualis nimirùm è ventriculi colatorio suffecta est. Deducitur quoque ex eâ materiei febrilis indole sanguinem ingruente morbo jam parùm vegetum in lentorem insignem ab eâ ducendum fore, corde de cætero arteriis venis & quibusque villis contractilibus satis languentibus, ut anteà fuit statutum, undè partes aqueæ è sanguinis textu lixiviosis particulis

parùm fætæ per renes ſecernentur, indè urina tenuis aquea, quæ cruda dici conſuevit, in primis acceſſionibus. Cùm autem per repetitas acceſſionum pyrexias exſolvantur ulteriùs è ſanguinis compages partes lixivioſæ imò morbificæ craſſæ, idcircò progrediente morbo in acceſſionibus præſertim in fine pyrexiæ pars aquea ſanguinis lixivioſa multùm è renibus ſecernetur, urinaque ſatis colorata craſſa imò interdùm turbida mingetur. Ut autem circà urinas diſcrimina contingunt ità & circà ſudorem, cùm enim in principio morbi ſanguis non multùm adhùc fuerit exagitatus nec in primis acceſſionibus pyrexiæ vehementes ſint adeò, ideò nec in acceſſionis fine multus prolicitur ſudor, & è contrà (quòd nimirùm ex prægreſſis acceſſionibus ſanguis ſuerit exagitatus & aliquantùm ſolutus, tùm quòd pyrexiæ fiant deinceps vehementiores) progreſſo aliquamdiù morbo is manat copioſior. At cùm in febre quartana ob actionum omnium ſegnitiem uber adeò ut in febre tertianâ non colligatur in ventriculi colatorio materia febrilis, hinc quartanæ febris acceſſiones interdùm

non magis durabunt quàm tertianæ, licet illius materia febrilis segnior discussioni magis resistat, viresque cordis & vasorum debiliores lentiùs eam atterant discutiantque. Cùm autem in quartanâ uberior colligetur ac suppeditabitur sanguini materia febrilis aut cùm vires vitales debiliores erunt, accessiones diutiùs protrahentur & accessionibus tertianæ longiores erunt, siquidem *accessionum quarumcumque febrilium durationes inter se comparatæ sunt semper in ratione compositâ quantitatis & qualitatis febrilis tùm & virium vitæ.*

Et ex eo theoremate fluit explicatio durationis (aut diversæ sive in eadem febre sive in diversis febribus aut ejusdem licet in diversis febribus) omnium accessionum febrilium & exacerbationum. Unde ponuntur sequentia corollaria.

Corollarium. 1. *Si materia febrilis eadem sit tùm quantitatis tùm qualitatis ratione durationes erunt in ratione simplici virium, sed inversâ.*

Corollarium 2. *Si vires vitæ eadem sint, durationes erunt in ratione composita quantinatis & qualitatis materiæ febrilis.*

Corollarium 3. *Si vires vitæ &*

quantitas materiæ febrilis eædem sint, durationes erunt in ratione simplici qualitatis materiæ febrilis, nimirum prout ejus spissitudo ac lentor aut acrimonia & mobilitas.

COROLLARIUM 4. *Si vires vitæ eædem sint & qualitas materiæ febrilis eadem, durationes erunt ut quantitates materiæ febrilis.*

COROLLARIUM 5. *Durationes accessionum in diversis febribus eædem erunt; cum ex diversis rationibus simplicibus memoratis comparatis fient compensationes reciprocæ. Ità V. G. si vires vitæ in aliquâ febre utpote vehementiores duplo velociùs discutiant materiam febrilem datæ quantitatis, vires vitales subduplæ in aliâ febre idem insument tempus ad discutiendam materiam febrilem subduplæ quantitatis; undè accessiones æquè durabunt interdùm in febribus licet diversæ indolis.*

Et sic de ceteris ejusmodi quoad accessionum aut exacerbationum durationes phænomenis, quorum ex jàm traditis solutio facilè erui poterit.

5°. Cùm materia febrilis quartanæ spissa sit ac signis, tùm sanguis vergat ad vappescentiam partibus activis nimirùm ac mucilagine tenui homogeneâ egenus particulis autem crassioribus spissis parùm mobilibus onustus, prætereà cordis vires arteriarum vena-

rum

rum ac villorum quorumvis vegetæ non ſint, profectò materia febrilis attenuationi ſuæ ac diſcutioni per organa excernentia (quæ ſunt renes, colatorium cutaneum & inteſtinale) multùm reſiſtet utcumque motibus febrilibus ſpontaneis ac naturalibus & quoque artificialibus per medicamenta procuratis fuerit pluries expoſita, hinc morbus diù protrahetur per menſes nimirùm imò per annos, & inter chronicos ſæpè erit receſcendus. Tùm particulæ craſſæ quæ ſubigi non potuere nec vi febris nec vi medicaminum in dies tenaciores fient minùſque ſolubiles, quòd à prædictis febris, ac medicaminum viribus diſſipentur neceſſariò particulæ tenuiores ac magis mobiles & fluxiles, deſtruaturque mucilago illa tenuis, quæ fluidis noſtris velut menſtruum proprium fluiditatem conſiliat homogeneam; imò cùm ex ſuccis digeſtivis in eâ febre ſpiſſis & inertibus è ſanguine ſimilis indolis pronatis digeſtiones procurentur debiles & imperfectæ etiam in intermiſſionibus, progenereturque chylus ſpiſſus, inæqualiter fluxilis, & particulis craſſis onuſtus (qui nuncupari ſolet chylus

crudus) is quidem à viribus organorum ſanguineorum non corrigetur utpotè jàm parùm vegetorum ; idcircò particulæ craſſæ in ſanguine multiplicabuntur magis & magis in dies cum cæteris malè permixtæ. Igitur tùm quòd inveteraſcente morbo particulæ craſſæ & inertes multiplicentur , tùm quod duriores ſegniores minùſque ſolubiles fiant , continget in viſceribus (utpote organis delicatiori textu præditis & fluidis abundanter irroratis) obſtruendas ſenſim fore arterias lymphaticas utpote ſanguiferis minori vi minorique peripheriâ præditas & pari ratione ſecretorios ductus fore obſtruendos oriendaſque fore oſtructiones tenaces , duras , adaucta viſceris interdùm mole ultrà modum ; hinc Skirri præſertim jecinoris ac lienis , & moles eorum viſcerum aliquando ſtupenda imprimis lienis , utpote valdè extenſilis quem ad viginti librarum pondus exercuiſſe aliquandò obſervavimus. Quæ ſanè viſcerum labes febre quartanâ diù vexatis ut plurimùm contingunt , iis autem potiſſimum qui diætam malè obſervarunt ſeſeque cibis aut abundanter aut iis crudis & indi-

gestis saginaverunt, ut & iis quibus peruvianus cortex nimis aut diùtiùs fuit administratus, prout sæpe observavi, ab eo namque cortice ad solvendam penitùs materiam febrilem utpote tenaciorem impotenti tenuius ac fluxilius materiæ febrilis tantummodò fuit attenuatum ac immutatum relictò crassiori indè minùs diluto duriorique proindè facto, cujus particulæ deinceps plures sibi tenaciùs cohærent, crassioresque moleculas ac densiores efficiunt obstructionum necessariò procreatrices, ex quibus varia consectaria morbosa. Quoniam verò in tali sanguinis diathesi particulas aqueas minùs permixtas esse crassioribus ac velut ab eis sejunctas nimis esse, sæpe contingit, ideò sanguinis ponitur ut plurimum constitutio cachectica, ex quâ (positis etiam in visceribus obstructionibus) explicantur facilè hydropes, qui inveteratæ quartanæ succedere solent; cui etiam succedunt interdùm febres lentæ, sive hecticæ sint, sive lentæ symptomaticæ ex aliquo viscere suppurato, item ulcera in tibiis cachœthea prout in eis, sæpè observavi, qui juxtà stagna nostra salsa-

degunt, quique febri quartanæ neglectæ ac vetustæ plurimùm obnoxiis sunt; imò ex eâ in pluribus fistulas observavi lachrymales; quæ omnia ex sanguine parte mucilaginosâ tenui summè orbato & acri summoperè facto ab ejus febris duratione, obstructionibus, pravis digestionibus earumque consectariis facilè deducuntur ac explicantur.

Causæ febris quartanæ sive remotæ sive antecedentes sunt quæ ad lentorem & vappescentiam sanguinem disponunt, tùm subsequentem exin necessariò minorem vim cordis & sanguiferorum, digestionumque debilitatem; ità ut accedentibus deinceps causis procatharticis febrium intermittentium in capite 12°. *de Febribus intermittentibus in genere*, superiùs expositis progeneretur causa continens quartanæ anteà statuta.

Sic 1°. autumno, ac potissimùm cùm æstati fervidiori succedit, quartanæ producuntur sæpiùs. Ab æstatis enim prægressæ calore nimio partium serosarum sanguinis tùm mucilaginosarum tenuium plurimùm fuit dissipatum; ex eis jacturis sanguis evasit spis-

ſus, minùs actuoſus, vappeſcens, tum vires cordis & ſanguiferorum languidiores factæ ſunt, digeſtioneſque debilitatæ.

2°. Utcumque quartana febris nulli parcat ætati, certum tamen eſt in ætate conſiſtentiæ ac præſertim inclinante frequentiùs eam excitari, quòd iis ætatibus ſanguis quàm anteà ſpiſſior ſit ac minùs vegetus, vires cordis & ſanguiferorum minùs ſint activæ, ac digeſtiones fiant debiliores.

3°. Protracta diù tertiana abit interdùm in quartanam, repetitis nimirùm & cum æſtu magno febrili tot acceſſionibus diſſipato ſaguinis tenuiori tùm ſeroſo, tùm mucilaginoſo, tùm activo, imminutiſque tandem ex morbi duratione cordis vaſorumque ſanguiferorum viribus, digeſtionibuſque debilitatis, factoque ſanguine ſpiſſiori ac velut vappido. Hinc & Febres ardentes, ſicut tertianæ diù protractæ, præcipuè ſi utræque autumnum attingant, in quartanam ſæpè deſinunt.

4°. Vita curis ac triſtitia affecta, aut ſtudiis & gravioribus occupationibus dedita quartanæ productioni

locum etiam præbet, ſit enim indè ut langueant vires circulationis ſanguinis, ſanguis ſpiceſcat cum lentore, chyluſque craſſus minùſque elaboratus (digeſtionibus ſcilicet debilitatis) ſufficiatur ſanguini, qui etiam ulteriùs ab eo concipit vappeſcentiam.

Quartana ex deſcriptione ejus traditâ in hujus capitis principio cognoſcitur, & à quavis intermittente diſtinguitur. Cauſæ ipſius ſive antecedentes ſive remotæ ſive procatharticæ per relata quæſitaque innoteſcunt. An obſtructa quoque ſint abdominis viſcera nec ne explorandum præcipuè per tactum.

Quartana, modò legitima ſit, qualis eſt jàm deſcripta, ac modò obſtructionibus non laborent adhùc viſcera, cæteris intermittentibus tutior eſt, intermiſſio enim cùm longa ſit conquieſcit ſatis corpus vireſque reficiuntur, ità ut æger videatur ſanus & ad ſolita ſæpè redeat negotia remediaque plura ægro ſine corporis magna turba adminiſtrari poſſint. Accedit quod in acceſſione febrili vitæ non immineat periculum ut in tertiana, quòd nec frigus febrile

nec pyrexiæ vehementiores ſint. Vidimus autem anteà quî ex frigore febrili vehementi intensâve pyrexia æger occumbere poſſet. At quartana ſpuria (in quâ nempè calor ſitis vigiliæ aliaque ſymptomata graviora ſunt) periculoſior ſanè eſt ; in ea ſiquidem ſanguis magis ſiccus eſt & acer materiaque febrilis acrior naturam redolens atræ bilis , quam vocabant antiqui , eaque febris ad hecticam ſæpè ducit & tabem præſertim ſenes jam ſiccos. Quartana obſtructiones viſcerum ſæpè accerſit potiſſimum hepatis ac lienis ; & tunc fit periculoſiſſima ; quòd non tantùm eorum viſcerum Skirri inſanabiles ſæpiùs progenerentur , ſed & quòd ex iis obſtructionibus ſuperveniant hydropes ut plurimùm lethales , aut ex tali ſtatu cachectico (ſi accedat ſanguinis conſtitutio muriatica) pronaſcatur ſæpiùs ſcorbutus contumax , cui , prout pluries obſervavi , ſuperveniunt ulcera in tibiis cacoëthea. Quartana omnium febrium longiſſima eſt , & ſæpè non ſolùm ad menſes aliquot , ſed & ad plures annos extenditur. Sique per dies aliquot tempuſve no-

tabilius compeſcatur, levi de cauſa reviviſcit, ſic ut morbus totus per longum tempus duret, nec ſanatus dici poſſit, undè quartana inter morbos chronicos recenſenda. Prædicta ſiquidem ſanguinis dyſcraſis in quartanâ auxiliis difficilè cedit, neque digeſtiones in eâ corriguntur facilè, neque obſtructiones viſcerum cùm adfuerint facilè reſerantur, ægrèque diſcutitur colatorii ventriculi infarctus à materia lenta & ſpiſsâ febrili, quo laborat ſemper in ea febre illud colatorium. *Æſtivæ quartanæ ſunt breviores, autumnales verò longæ, maximè quæ non procul ſunt ab hyeme. aphor. 5. ſect. 2.* Materia ſiquidem febrilis æſtate mobilior eſt, & faciliùs attenuari ac diſcuti ſe patitur, autumno lentior & attenuationi magis reſiſtit, multò que magis hyeme. Hinc quartanæ autumnales vix ſanantur niſi vere, quâ quidem anni tempeſtate humores animalium ac vegetabilium ſucci fluxiliores fiunt, ità & pariter materia febrilis quartanæ torpidior hyeme adhùc facta vere accedente fit magis mobilis & diſcuti poteſt per medicamenta. Sunt tamen

quartanæ quæ resistunt per annos, adeò spissa tunc est materia febrilis vel vires vitæ debiles, adeò laborant tunc obstructionibus viscera & adeò labefactatum est ventriculi colatorium, ut spicescat in eo admodùm materia febrilis, fiatque contumax. Vulgò traditur eumdem hominem bis in vita quartanâ non affici, verùm illud est vulgi error, constat namque observatione eumdem hominem bis ac ter quartanâ per vitæ curriculum laboravisse.

Quartana tandem liberat interdùm à quibusdam morbis chronicis, quod etiam testatur Hippocrates *in libr. epidem. & in aphor.* Cùm illud evenit, tunc materia quæpiam morbifica lenta eos morbos procreans ad ventriculi colatorium fuit reducta, ex cujus affectione producitur materia febrilis quartanæ. Ità scabies retropulsa fit interdùm causa quartanæ, cùm nimirùm materia viscida & acris calatorium cutaneum deserit, & in colatorium ventriculi à sanguine suppeditatur; hinc verò scabie iterùm apparente sanatur quartana quòd ea materia morbifica iterùm

ad colatorium cutis tunc ſuppeditetur à ſanguine, relicto colatorio ſtomachali libero. Verùm exempla mutationum morborum per mutationem loci affecti à materia morbificà ſatis familiaria ſunt, nec de humorum peccantium metaſtaſi jàm diſquirimus.

In febre quartanâ diæta non adeò tenuis præſcribenda eſt ac in cæteris intermittentibus propter morbi longitudinem ne conſummatur æger, ducaturque in febrem hecticam, tantò magis quò, cum quartanæ intermiſſio longa ſit & ſat inſumatur temporis antè quàm acceſſio altera ſuperveniat, ventriculus non laborat admodùm per duos dies (laborat namque ſemper ventriculus in intermittentibus quibuſvis etiam tempore intermiſſionis, quidquid in contrarium aſſerant nonnulli, idque ex eo probatur quòd eo tempore congeratur paulatim materia febrilis in ventriculi colatorio vel etiam in cavo hujus viſceris prout nonnullis placet, ac proindè ventriculus in intermiſſione numquam perfectè ſe habeat ad digeſtiones rectè peragendas, utcumque æger interdùm tunc benè appetat ali-

menta , digeſtionum ſiquidem perfectio ſemper non reſpondet alimentorum appetitui , ut probari poſſet infinitis exemplis inter quæ afferre ſufficiat plurimas epileptias arthritides ac cæphalæas alioſque morbos plures recurrentes ſivè per periodos ſivè erraticè ex vitio ventriculi ejuſque digeſtionum , in quibus extrà paroxyſmum ſive acceſſionem ægri plurimi benè alimenta appetunt , videnturque perfectè ſani ideò duobus illis diebus à febre liberis æger nutriendus eſt offis pauco pane & juſculis ; at ipſis acceſſionis diebus ſumet tantùm juſcula. Potus erit aut decoctum radicis graminis vel radicis cichorii , aut ptiſana capillorum veneris , duobus autem diebus à febre omninò liberis vinum concedi poteſt ſed aqua temperatum.

Venæ ſectio in quartana multùm locum non habet , quare ſemel venam ſecuiſſe , & quidem ſemper in pyrexia acceſſionis quam primò obſervat medicus ſæpè ſufficiet ; hæc tamen iteranda ſed cum prudentia in alia acceſſione quâvis , ſi nimirùm pyrexia extiterit vehementior , timea-

turve ex ea viſceris cujuſpiam inflammatio.

At ſive ſanguis fuerit miſſus ſive neutiquàm, ad purgationem quantocyùs deveniendum eſt, & quidem, ſi nihil obſtet, primâ intermiſſionis die inſtituendam. Jàm verò ſi ſigna adfuerint ſaburræ turgentis in ventriculo purgandus erit æger utique per vomitum & quidem vel vino ſtibiato vel tartaro emetico, vel radice ipecacuenhæ pulveratâ, quorum emeticorum formulæ traditæ ſunt in capite de febre malignâ. Inter autem emetica præfero ſæpiùs in eo caſu ipecacuanham pulveratam à granis viginti quinque ad triginta quinque exhibitam, quòd præter vim emeticam in eâ radice vis inſit præſtans ad incidendas materias pituitoſas, quæ in quartanâ obſident ventriculi cavum ipſiuſque colatorium, ac poſtmodùm in receſſu vi quadam aſtringente ipecacuanha ventriculum roboret. Valet & quoque inter emetica in quartanâ radis azari, quæ non tantùm vomitum ciet, ſed & quæ ventriculum calefacit & roborat. Ità.

REC. *rad. azari contritæ drachm. duas*,

duas, inf. per noctem in vini rubri unc. tribus vel quatuor f. infusum mane sumendum.

Poſtridie exhibitionis alicujus ex iſtiuſmodi emeticis; die nimirùm intermiſſionis ſecundâ æger purgabitur potione cathartica. Ità.

R E C. *ſem. mundat. drachm. duas; rh. el. & ſal. vegetabil. una drachm. unam, ſummit. chamædr. pugill. unum inf. in ſ. q. aq. font. & in calatur. unc. ſex diſſol. mann. calabr. unc. duas, f. p. mane ſumend. cum regimine.*

Verùm ſi ſaburra in ventriculo non evidenter turgeat incipienda erit curatio per cathartica, quæ quidem primâ die intermiſſionis, ſi medicus jam fuerit advocatus, vel ſaltem ſecundâ præſcribentur; verùm acuetur potio cathartica tartaro emetico. Ità.

R E C. *ſenn. mundat. drachm. duas. rh. el. drachm. ſemi ſal. vegetabil. drachm. unam. ſemin. contra pulverat. pugill. unum. inf. in ſ. q. aq. font. & in colatur. unc. ſex diſſol. mann. calabr. unc. duas tartar. ſtibiat. ſolubil. gr. duo vel gr. tria. f. p. mane ſumend.*

In ſequenti Intermiſſione ad alterandum materiam febrilem per febrifuga tùm ad evacuandam eam ſequentia præſcribentur apozemata.

R E C. *folior. borrag. & cichor. ana manipul. unum. fumar. manip. semi. flor. camamel. p. jj. cortic. peruvian. pulverat. drachm. unam & semi. cascarill. pulverat. scrupul. duos. sal. ammnoniac. scrupul. unum. rad. polypod. quercin. unc. unam. epithimi pugill. unum. rhabarb. contus. drachm. unam. bull. per horam cum s. q. aq. font. ad libr. unam. cola pro duab. dosib. in quarum primâ dilue sirup. rosar. pallidar. unc. duas. & in secundâ sirupi de quinque rad. aper. drachm. sex. f. apozemata. primum apozema sumetur mane jejuno ventriculo, secundùm hora quarta aut quinta pomeridiana.*

Æger sumet apozemata duo præscripta tum prima intermissionis die, tùm secundâ.

In sequente intermissione æger purgabitur potione catharticâ jam præscriptâ, at demendo ab ea tartarum emeticum si matheria non turgeat, vel si vires ægri imbecilles sint.

In sequente intermissione præscribetur cortex peruvianus pulveratus cùm sale ammoniaco vel etiam agarico; imò radice iridis florentinæ. Ità

R E C. *China chinæ pulverat. drach. unam. sal. ammon. pulverat. gr. octo vel decem. m. f. pulvis ex aquæ cichor. vel card. benedict. unc. tribus exhibendus.*

Vel, si simul alvus laxanda sit.

Rec. *Cortic. peruvian. pulverat. drach. unam. rh. el. pulverat. gr. triginta agaric. pulverat. gr. decem. m. f. pulvis similiter exhibend.*

At si potentiùs exigatur febrifugum, quod à nonnullis pro arcano venditatur.

Rec. *Cortic. peruvian. pulverat. drach. unam. rad. irid. florent. pulverat. gr. duodecim vel quindecim agaric. pulverat. gr. octo vel decem. m. f. pulvis eodem modo exhibendus, vel etiam ex aqua fontanâ.*

Quivis autem è prædictis eligatur pulveribus, is quidem saltem bis exhibebitur in die, & quidem utraque à febre liberâ. Et sanè usus ejusmodi pulverum in subsequentibus aliis duabus intermissionibus prorogari potest.

Si autem exhibitis per duas tresve intermissiones eis pulveribus accessiones nihilosecius redeant, æger erit potione catharticâ purgandus, tùm deinceps sequenti utetur opiata.

Rec. *China chinæ pulverat. drach. duas, cascarill. & rh. el. pulverat. ana. drach. unam. rad. ireos florent. & agaric. pulverat. ana drach. unam & semi sal. ammon. & absint. ana scrupul. duos. jalapp. & scammon. pulver. ana gr. triginta. flor.*

camamel. & rad. gentian. pulverat. ana ſcrupul. quatuor. cum ſ. q. ſirup de cichor. compoſit. f. opiata molis pro uſu.

Æger ſumet hujus opiatæ drachmas duas mane jejuno ventriculo ſingulis diebus à febre omninò immunibus, horaque elapſa hauriet juſculum cichorio alteratum. Protrahetur autem uſus hujus opiatæ quouſque non ampliùs redeat acceſſio. Deindè verò abſolutâ febre per dies aliquot ut per quinque vel ſex æger ſumet hujus opiatæ drachmam mane jejuno ventriculo cum prædicto juſculo.

Loco autem hujus opiatæ præſcribetur ægro decoctum illud elegans & potens febrifugum in fine capitis 12. deſcriptum.

Jàm verò ſi obſtructionibus laborent viſcera tunc utendum opiata aperiente febrifuga & purgante ibidem deſcripta. Quoad reliqua conſulatur idem caput 12. de febribus intermittentibus in genere.

FINIS.

INDEX
CAPITUM.

CAPUT I. *De Febre in genere*, page. 1
CAP. II. *De differentiis Febrium.* 30
CAP. III. *De Febre Ephemerâ seu Diareâ.* 38
CAP. IV. *De Synocho imputri.* 43
CAP. V. *De Febre Putridâ.* 52
CAP. VI. *De Febre Malignâ.* 93
CAP. VII. *De Febre Ardente.* 141
CAP. VIII. *De Febre acutâ humorali symptomaticâ.* 165
CAP. IX. *De Febre non humorali.* 171
CAP. X. *De Febre hecticâ.* 189
CAP. XI. *De Febre lentâ symptomaticâ.* 223
CAP. XII. *De Febribus intermittentibus in genere.* 241
CAP. XIII. *De Febre quotidianâ*, 259
CAP. XIV. *De Febre tertianâ.* 281
CAP. XV. *De Febre duplici tertianâ*, 300
CAP. XVI. *De Febre Quartanâ.* 303